Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justinian I., Byzantinisches Reich, Kaiser

Imperatoris Ivstiniani Institvtionvm libri IIII : Adjecti sunt ex digestis Tituli de verborum significatione et de Regulis Iuris : Cum Indice ad cosdem

Lvgdvni: Sumpt. Antonii Chard, Anno MDCXXVI

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

K
33

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0001
Mecklenburg Vorpommern



Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0002
Mecklenburg Vorpommern







Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0006
Mecklenburg Vorpommern

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0007
Mecklenburg Vorpommern



Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0008
Mecklenburg Vorpommern

Erbeutet zu
Villeneuve d. 8/11 70
St Georges

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0009
Mecklenburg Vorpommern



Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0010
Mecklenburg Vorpommern


Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0011
Mecklenburg Vorpommern



Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0012
Mecklenburg Vorpommern

De Recueillé

Imperatoris
IVSTINIANI.
INSTITVTIONVM
libri IIII.
Adjecti sunt ex digestis
Tituli de verborum
significatione et de
Regulis Iuris

Cum Indice ad eosdem.

Indiscretus agendo.

LVGDVNI
Sumpt. ANTONII
CHARD. Sub Signo
S. spiritus
ANNO MDCXXVI.

C. le Roy. fe.

Sutura Cuique

Bonus cum bonis

Lavesne



Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0013
Mecklenburg Vorpommern



IN EDITIONEM

INSTITVTIONVM D. IVSTINIANI IMPERATORIS,

DISTICHON.

IVra damus collecta breui Romana libello,
Quo nullum in terris clarius extat opus.

I. H. I. V. D.

ALIVD.

EN prodit nudus sine fuco Iustinianus.
Cur ita? pulchra suis vel sine veste placet.

P. B. I. C.

PROOEMIVM
De confirmatione Institutionum.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

IMPERATOR Cæsar Flauius Iustinianus, Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, victor ac triumphator semper Augustus, cupidæ legum iuuentuti [S. D.]

IMPERATORIAM maiestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: vt vtrumque tempus, & bellorum, & pacis, recte possit gubernari: & princeps Romanus non solum in hostilibus prœliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam iuris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator [magnificus.]

1 ¶ Quorum vtramque viam cum summis vigiliis, summaque prouidentia, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem sudores nostros Barbaricæ gentes sub iuga nostra redactæ cognoscunt: & tam Africa, quam aliæ innumeræ prouinciæ, post tanta temporum spatia, nostris victoriis à cœlesti numine præstitis, iterum ditioni Romanæ, nostroque additæ imperio, protestantur. Omnes vero populi legibus tam à nobis promulgatis, quam compositis, reguntur.

2 ¶ Et cum sacratissimas constitutiones, antea confusas, in luculentâ ereximus consonantiam: tunc nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentiæ volumina, & opus desperatū, quasi per medium profundū euntes, cœlesti fauore iam adimpleuimus.

3 ¶ Cum

3 ¶ Cumque hoc, Deo propitio, peractum est: Tribonianoviro magnifico, magistro, & exquæstore sacri palatij nostri, [& exconsule] nec non Theophilo & Dorotheo, viris illustribus, antecessoribus, (quorum omnium sollertiam, & legum scientiam, & circa nostras iussiones fidem, iam ex multis rerum argumentis accepimus) conuocatis, mandauimus specialiter, vt ipsi nostra auctoritate, nostrisque suasionibus, Institutiones componerent: vt liceat vobis prima legum cunabula nõ ab antiquis fabulis discere, sed ab Imperiali splendore appetere: & tam aures quã animi vestri, nihil inutile, nihilque perperam positum, sed quod in ipsis rerum obtinet argumentis, accipiant. & quod priore tempore vix post quadriennium [prioribus] contingebat, [vt tunc constitutiones Imperatorias legerent:]hoc vos à primordio ingrediamini, digni tanto honore, tantaque reperti felicitate, vt & initium vobis & finis legum eruditionis à voce principali procedat.

4 ¶ Igitur post libros quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, (in quibus omne ius antiquum collectum est, quod per eundem virum excelsum Tribonianum: necnon cæteros viros illustres, & facũdissimos confecimus) in quatuor libros easdem Institutiones partiri iussimus: vt sint totius legitimæ scientiæ prima elementa.

5 ¶ In quibus breuiter expositũ est, & quod antea obtinebat: & quod postea desuetudine inũbratũ, imperiali remedio illuminatũ est.

6 ¶ Quas ex omnibus antiquorum Institutionibus, & præcipue ex cõmentariis Caij nostri, tam institutionum, quam rerum quotidianarum, aliisque multis commentariis compositas, cum tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt: & legimus & recognouimus, & plenissimum nostrarum constitutionum robur eis accommodauimus.

7 ¶ Summa itaque ope, & alacri studio has

leges nostras accipite: & vosmetipsos sic eruditos ostendite: vt spes vos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto, posse etiã nostram Rempublicã in partibus eius vobis credẽdis gubernari. D. C P. XI. Kal. Decemb. D. IVSTINIANO PP. A. III. CONS.

INSTI

INSTITVTIONVM,
seu Elementorum
D. IVSTINIANI
sacratissimi Principis,

LIBER PRIMVS.

DE IVSTITIA ET IVRE.

TITVLVS I.

IVSTITIA est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.

1 ¶ Iurisprudẽtia est diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia.

2 ¶ His igitur generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere iura populi Romani: ita videntur posse tradi cõmodissime, si primò leui ac simplici via, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione singula tradantur: alioqui si statim ab initio rudem adhuc & infirmũ animum studiosi, multitudine ac varietate rerũ oneraverimus: duorum alterum, aut desertorẽ studiorum efficiemus, aut cum magno labore, sæpe etiam cum diffidentia (quæ plerunque iuuenes auertit) serius ad id perducemus: ad quod, leuiore via ductus, sine magno labore, & sine vlla diffidentia, maturius perduci potuisset.

3 ¶ Iuris præcepta sunt hęc: honeste viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere.

4 ¶ Huius studij duæ sunt positiones, publicum & priuatum. Publicum ius est, quod ad statum rei Romanæ spectat. Priuatum, quod ad singulorum vtilitatem. Dicendum est igitur de iure priuato, quod tripertitum est: collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus.

DE IVRE NATVRALI, gentium, & ciuili.

TITVLVS II.

IVs naturale est, quod natura omnia animalia docuit. nã ius istud non humani generis proprium est: sed omnium animaliũ, [quæ in cœlo,] quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorũ procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia istius iuris peritia censeri.

1 ¶ Ius autem ciuile à iure gentium distinguitur: quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtuntur. nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius propriũ ciuitatis est: vocaturque ius ciuile, quasi ius propriũ ipsius ciuitatis. quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur: vocaturque ius gentiũ, quasi quo iure omnes gentes vtantur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtitur. Quæ singula qualia sint, suis locis proponemus.

2 ¶ Sed ius quidẽ ciuile ex vnaquaque ciuitate appellatur, veluti Athenienſium. nam si quis velit Solonis, vel Draconis leges appellare ius ciuile Athenienſium non errauerit. sic enim & ius, quo Romanus populus vtitur, ius ciuile Romanorum appellamus: vel ius Quiritum, quo Quirites vtuntur. Romani enim à [Romulo,] Quirites à Quirino appellantur. Sed quotiens non addimus nomen, cuius sit ciuitatis: nostrum ius significamus. sicuti cũ Poëtam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius. Ius autẽ gentium

tium omni humano generi cõmune est. nam vsu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanæ [iura] quædam sibi constituerũt. Bella etenim orta sunt, & captiuitates sequutæ, & seruitutes, quæ sunt naturali iuri contrariæ. Iure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur. Et ex hoc iure gentium omnes pene contractus introducti sunt, vt emptio [&] venditio, locatio [&] conductio, societas, depositum, mutuum, & alij innumerabiles.

3 ¶ Constat autem ius nostrũ, quo vtimur, aut scripto, aut sine scripto vt apud Græcos τὸ μὲν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι, i. legum aliæ sunt scriptæ, aliæ non scriptæ. Scriptum autem ius est lex, plebiscitum, Senatusconsultum, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum.

4 ¶ Lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat. Plebiscitũ est, quod plebs plebeio magistratu interrogãte (veluti Tribuno) constituebat. Plebs autem à populo eo differt, quo species à genere: nam appellatione populi, vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam patriciis & senatoribus. Plebis autem appellatione, sine patriciis & senatoribus cæteri ciues significantur: sed & Plebiscita, lege Hortensia lata, non minus valere, quam leges cœperunt.

5 ¶ Senatusconsultum est, quod Senatus iubet, atque constituit. Nam cum auctus esset populus Romanus in eum modum, vt difficile esset in vnum eum conuocari legis sanciendæ causa: æquum visum est, Senatum vice populi consuli.

6 ¶ Sed & quod principi placuit, legis habet vigorem: quum lege Regia, quæ de eius imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum & potestatem concedat. Quodcunque ergo Imperator per Epistolam constituit: vel cognoscens decreuit, vel

edicto præcepit, legem esse constat. hæc sunt, quæ Constitutiones appellantur. Plane ex his quædam sunt personales, quæ nec ad exemplum trahuntur, [quoniam non hoc princeps vult.] nam quod alicui ob meritũ indulsit, vel si quam pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit: personam non transgreditur. Aliæ autem, quum generales sint, omnes proculdubio tenent.

7 ¶ Prætorũ quoque edicta non modicam obtinent iuris auctoritatem. Hoc enim ius honorariũ solemus appellare, quod qui honores gerunt, id est, magistratus, auctoritatem huic iuri dederunt. Proponebant & Aediles Curules edictum de quibusdam causis, quod & ipsum iuris honorarij portio est.

8 ¶ Responsa prudentium sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere. nã antiquitus constitutum erat, vt essent, qui iura publice interpretarentur, quibus à Cæsare ius respondendi datum est, qui Iurisconsulti appellabantur, quorum omniũ sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, vt iudici recedere à responso eorũ non liceret, vt est constitutũ.

9 ¶ Sine scripto ius venit, quod vsus approbauit. nã diuturni mores consensu vtentium comprobati, legem imitantur.

10 ¶ Et non ineleganter in duas species ius ciuile distributum esse videtur. nam origo eius ab institutis duarum ciuitatum, Atheniensium scilicet, & Lacedæmoniorum, fluxisse videtur. In his enim ciuitatibus ita agi solitum erat, vt Lacedæmonij quidem magis ea, quę pro legibus obseruabant, memoriæ mãdarent: Athenienses vero ea, quæ in legibus scripta comprehendissent, custodirent.

11 ¶ Sed naturalia quidem iura, quæ apud omnes gentes peræque obseruantur: diuina quadam prouidentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent. Ea vero, quæ ipsa sibi quæque ciuitas constituit, sæpe

mutari

mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata.

12 ¶ Omne autem ius, quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et prius de personis videamus. nam parum est ius nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur.

DE IVRE PERSONARVM.

TIT. III.

SVmma itaque diuisio de iure personarum hæc est: quod omnes homines, aut liberi sunt, aut serui.

1 ¶ Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur:) est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur.

2 ¶ Seruitus autem est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur.

3 ¶ Serui autem ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent, qui etiam mancipia dicti sunt, [eo] quod ab hostibus manu capiuntur.

4 ¶ Serui autem aut nascuntur, aut fiunt. nascuntur ex ancillis nostris. fiunt, aut iure gentium, id est, ex captiuitate: aut iure ciuili, cum liber homo maior viginti annis ad pretiũ participandũ sese venundari passus est.

5 ¶ In seruorum conditione nulla est differentia: in liberis autem multę; aut enim sunt ingenui, aut libertini.

DE INGENVIS.

TIT. IIII.

INgenuus est is, qui statim, vt natus est, liber est: siue ex duobus ingenuis matrimonio editus est, siue ex libertinis duobus, siue ex altero libertino, & altero ingenuo. Sed & si quis ex matre nascitur libera, patre vero seruo, ingenuus nihilominus nascitur, quemadmodum qui ex matre libera & incerto patre natus est, quoniam vulgo concepti

pitus est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit. Et e contrario, si libera concepit, deinde ancilla facta pariat: placuit eũ, qui nascitur, liberum nasci: quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in vẽtre est. Ex his illud quæsitum est: Si ancilla prægnãs manumissa sit, deinde ancilla postea facta pepererit: liberũ, an seruum pariat? Et Martianus probat liberum nasci. sufficit enim ei, qui in vtero est, liberam matrem vel medio tempore habuisse; [vt liber nascatur.] quod & verum est.

1 ¶ Cum autem ingenuus aliquis natus sit, non officit ei in seruitute fuisse, & postea manumissum esse: sæpissime enim constitutum est, natalibus non officere manumissionem.

DE LIBERTINIS.

TIT. V.

Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. manumissio autem est de manu datio. nã quamdiu aliquis in seruitute est, manui & potestati suppositus est: & manumissus liberatur potestate. Quæ res à iure gentium originem sumpsit: vtpote cum iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. Sed postquam iure gentium seruitus inuasit: sequutum est beneficium manumissionis. & cũ vno communi nomine omnes *homines* appellarentur, iure gentium tria [hominum] genera esse cœperunt: liberi, & his contrarium serui, & tertium genus libertini, qui desierant esse serui.

1 ¶ Multis autem modis manumissio procedit, aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis ecclesiis, aut vindicta, aut inter amicos, aut per epistolam, aut per testamentum, aut per aliam quamlibet vltimam voluntatem. Sed & aliis multis modis libertas seruo competere potest, qui tam ex veteri-

bus,

bus, quàm ex nostris constitutionibus introducti sunt.

2 ¶ Serui [vero] à dominis semper manumitti solent: adeo, vt vel in transitu manumittantur: veluti cum prætor, aut præses, aut proconsul in balneum, vel in theatrũ eant.

3 ¶ Libertinorum autem status tripertitus antea fuerat. Nã qui manumittebantur, modo maiorem & iustam libertatem consequebantur, & fiebant ciues Romani: modo minorem, & Latini ex lege Iunia Norbana fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex lege Aelia Sentia dediticij. Sed quoniã dedititiorum quidem pessima cõditio iam ex multis temporibus in desuetudinem abierat, Latinorum vero nomen non frequentabatur: ideoque nostra pietas omnia augere, & in meliorem statum reducere desiderans, duabus constitutionibus hoc emendauit, & in pristinum statum reduxit: quia & à primis vrbis Romæ cunabulis vna atque simplex libertas competebat: id est, eadem, quam habebat manumissor: nisi quod scilicet libertinus sit, qui manumittitur, licet manumissor ingenuus sit. Et dedititios quidem per constitutionem nostram expulimus, quam promulgauimus inter nostras decisiones: per quas, suggerente nobis Triboniano viro excelso quæstore [nostro,] antiqui iuris altercationes placauimus. Latinos autem Iunianos, & omnem quæ circa eos fuerat obseruantiam, alia cõstitutione per eiusdem quæstoris suggestionem correximus, quæ inter Imperiales radiat sanctiones. Et omnes libertos, nullo nec ætatis manumissi, nec domini manumittentis, nec in manumissionis modo discrimine habito (sicut iam antea obseruabatur) ciuitate Romana decorauimus: multis modis additis, per quos possit libertas seruis cum ciuitate Romana, quæ sola est in præsenti, præstari.

QVIBVS EX CAVSIS MANVmittere non licet.

TITVLVS VI.

NOn tamen cuicumque volenti manumittere licet, nam is, qui in fraudē creditorum manumittit, nihil agit: quia lex Aelia Sentia impedit libertatem.

1 ¶ Licet autem domino, qui soluendo non est, [in testamento] seruum suum cum libertate heredem instituere, vt liber fiat, heresque ei solus & necessarius: si modo ei nemo alius ex eo testamento heres extiterit: aut quia nemo heres scriptus sit, aut quia is, qui scriptus est, qualibet ex causa heres ei non extiterit. Idque eadē lege Aelia Sentia prouisum est. & recte. Valde enim prospiciendum erat, vt egentes homines, quibus alius heres extiturus non esset, vel seruum suum necessarium heredem haberent, qui satisfacturus esset creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hereditarias serui nomine vendāt, ne iniuria defunctus afficiatur.

2 ¶ Idemq; iuris est, & si sine libertate seruus heres institutus est. Quod nostra constitutio non solum in domino, qui soluendo non est, sed generaliter constituit, noua humanitatis ratione: vt ex ipsa scriptura institutionis etiam libertas ei competere videatur: quum non sit verisimile, eum, quem heredem sibi elegit, si prætermiserit libertatis dationem, seruum remanere voluisse, & neminem sibi heredem fore.

3 ¶ In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel iam eo tēpore quo manumittit, soluendo non est: vel qui datis libertatibus, desiturus est soluēdo esse. Præualuisse tamen videtur (nisi animum quoque fraudandi manumissor habuerit) non impediri libertatem, quamuis bona [eius] creditoribus non sufficiant. sæpe enim de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri

libe-

libertatem, cum vtroque modo fraudantur creditores, id eſt, & conſilio manumittentis, & ipſa re, eo quod eius bona non ſunt ſuffectura creditoribus.

4 ¶ Eadem lege Aelia Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, quam ſi vindicta apud conſilium, iuſta cauſa manumiſſionis adprobata, fuerint manumiſsi.

5 ¶ Iuſtæ autem manumiſsionis cauſæ hæ ſunt: veluti, Si quis patrem aut matrem, filium filiamve, aut fratres ſororesve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum alumnamve, aut collectaneum manumittat: aut ſeruum, procuratoris habendi gratia: aut ancillam matrimonij [habendi] cauſa: dum tamen intra ſex menſes in vxorem ducatur, niſi iuſta cauſa impediat: & [ſeruus,] qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor decem & ſeptem annis manumittatur.

6 ¶ Semel autem cauſa adprobata, ſiue vera ſit, ſiue falſa, non retractetur.

7 ¶ Cum ergo certus modus manumittendi minoribus viginti annis dominis per legem Aeliam Sentiam conſtitutus eſſet: eueniebat, vt qui quatuordecim annos expleuerat, licet teſtamentum facere, & in eo ſibi heredem inſtituere, legataque relinquere poſſet: tamen ſi adhuc minor eſſet viginti annis, libertatem ſeruo dare non poſſet. Quod non erat ferendum: nam cui totorum ſuorū bonorum in teſtamento diſpoſitio data erat: quare non ſimiliter ei, quemadmodum alias res, ita de ſeruis ſuis in vltima voluntate diſponere, quemadmodum voluerit, permittimus, vt & libertatem eis poſsit præſtare? Sed quum libertas inæſtimabilis res ſit, & propter hoc ante xx. ætatis annum antiquitas libertatem ſeruo dare prohibebat: ideo nos mediam quodammodo viam eligentes, non aliter minori viginti annis libertatem

in testamento dare seruo suo concedimus, nisi decimumseptimum annum impleuerit, & decimumoctauum attigerit. Quum enim antiquitas huiusmodi ætati, & pro aliis postulare concesserit: cur non etiam sui iudicij stabilitas ita eos adiuuare credatur, vt ad libertatē dandā seruis suis possint peruenire?

DE LEGE FVSIA CANINIA tollenda.

TIT. VII.

LEge Fusia Caninia certus modus constitutus erat in seruis testamento manumittendis: quam, quasi libertates impedientem, & quodammodo inuidam, tollendam esse censuimus: quum satis fuerat inhumanum, viuos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate donare, nisi alia causa impediat libertatem: morientibus autem huiusmodi licentiam adimere.

DE HIS, QVI SVI, VEL alieni iuris sunt.

TIT. VIII.

SEquitur de iure personarum alia diuisio. Nam quædā personæ sui iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ. Rursus earum, quæ alieno iuri subiectæ sunt, aliæ sunt in potestate parentum, aliæ in potestate dominorum. Videamus itaque de his, quæ alieno iuri subiectæ sunt. nā si cognouerimus, quæ istæ personæ sunt: simul intelligemus quæ sui iuris sunt. ac prius inspiciamus de his, quæ in potestate dominorum sunt.

1 ¶ In potestate itaque dominorum sunt serui. quæ quidem potestas, iuris gentium est. nam apud omnes peræque gentes animaduertere possumus, dominis in seruos vitæ, necisque potestatem fuisse: & quodcumque per seruum adquiritur, id domino adquiri.

2 ¶ Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet sine causa legibus cognita, in seruos suos [supra modū] sæuire. Nam ex constitutione diui Antonini, qui

De his, qui sui, vel alieni iuris sunt. 17

qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quam si alienum seruum occiderit. Sed & maior asperitas dominorum, eiusdē principis constitutione coërcetur: nam [Antoninus] consultus à quibusdā præsidibus prouinciarum de his seruis, qui ad ædem sacram, vel ad statuam principum confugiunt, præcepit, vt si intolerabilis videatur seuitia dominorum, cogantur seruos suos bonis conditionibus vendere, vt pretijs dominis daretur. & recte. expedit enim Reipublicæ, ne sua re quis male vtatur. Cuius rescripti ad Aelium Martianum emissi verba sunt hæc: Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominū ius suum detrahi. sed dominorum interest, ne auxilium contra sæuitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur iis, qui iuste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulij Sabini ad statuam confugerunt. & si vel durius habitos, quam æquum est, vel infami iniuria adfectos esse cognoueris: venire iube, ita vt in potestatem domini non reuertantur. Quod si meæ constitutioni fraudem fecerit, sciat me hoc admissum seuerius executurum.

DE PATRIA POTESTATE.

TIT. IX.

IN potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreauimus.

1 ¶ Nuptiæ autem, sue matrimonium, est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens.

2 ¶ Ius autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum. nulli enim alij sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.

3 ¶ Qui igitur ex te & vxore tua nascitur, in tua potestate est. Item qui ex filio tuo & vxore eius nascitur, id est, nepos tuus & ne-

ptis, æque in tua sunt potestate, & pronepos, & proneptis, & deinceps cæteri. Qui autem ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed in patris eorum.

DE NVPTIIS.

TIT. X.

IVstas autem nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coëunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem viri potentes, siue patresfamiliarum sint, siue filiifamiliarum: dum tamen, si filiifamiliarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio suadet: in tantum, vt iussus parentis præcedere debeat. Vnde quæsitum est, an furiosi filia nubere, aut furiosi filius vxorem ducere possit: cumque super filio variabatur, nostra processit decisio, qua permissum est ad exemplum filiæ furiosi, filium quoque [furiosi] posse & sine patris interuentu matrimonium sibi copulare, secundum datum ex nostra constitutione modum.

1 ¶ Ergo non omnes nobis vxores ducere licet. nam à quarundam nuptiis abstinendum est. inter eas enim personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt: veluti inter patrem & filiam, vel auum & neptem, vel matrem & filium, vel auiam & nepotem, & vsque in infinitum. Et si tales personæ inter se coierint: nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeo vera sunt, vt quamuis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cœperint, nō possint inter se matrimonio iungi: in tantum, vt etiam dissoluta adoptione, idem iuris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia vel neptis esse cœperit, nō poteris vxorem ducere, quamuis eam emancipaueris.

2 ¶ Inter eas quoq; personas, quæ ex transuerso gradu cognationis iunguntur, est quæ-

dam

dam similis obseruatio, sed non tanta. Sane enim inter fratrem sororemque nuptiæ prohibitæ sunt, siue ab eodem patre eademque matre nati fuerint, siue ex altero eorũ. Sed si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit: quandiu quidem constat adoptio, sane inter te & eam nuptiæ consistere non possunt. cum vero per emancipationẽ adoptio sit dissoluta, poteris eam vxorem ducere. Sed & si tu emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptiis. Et ideo constat, si quis generum adoptare velit, debere eum antea filiam suam emancipare: & si quis velit nurum adoptare, debere eum antea filium suum emancipare.

3 ¶ Fratris vero, vel sororis filiam, vxorem ducere non licet: sed nec neptem fratris vel sororis quis ducere potest, quamuis quarto gradu sint. Cuius enim filiam vxorem ducere non licet, neque eius neptem permittitur. Eius vero mulieris, quam pater tuus adoptauit, filiam non videris impediri vxorem ducere: quia neque naturali, neque ciuili iure tibi coniungitur.

4 ¶ Duorum autem fratrum vel sororum liberi, vel fratris & sororis, coniungi possunt.

5 ¶ Item amitam, licet adoptiuam, ducere vxorem non licet, item nec materterã: quia parentũ loco habentur. Qua ratione verum est, magnam quoque amitam, & matertera magnam prohiberi vxorem ducere.

6 ¶ Adfinitatis quoque veneratione, à quarundam nuptiis abstinere necesse est, vt ecce priuignam aut nurum vxorẽ ducere non licet: quia vtræque filiæ loco sunt. Quod ita scilicet accipi debet, si fuit nurus aut priuigna tua. Nam si adhuc nurus tua est, id est, si adhuc nupta est filio tuo, alia ratione vxorẽ eam ducere non poteris: quia eadem duobus nupta esse non potest. Itẽ si adhuc priuigna tua est, id est, si mater eius nupta est, ideo

eam vxorem ducere non poteris, quia duas vxores eodem tempore habere non licet.

7 ¶ Socrum quoque & nouercam prohibitum est vxorem ducere: quia matris loco sunt. Quod & ipsum dissoluta demum adfinitate procedit, alioquin si adhuc nouerca est, id est, si adhuc patri tuo nupta est: communi iure impeditur tibi nubere, quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc socrus est, id est, si adhuc filia eius tibi nupta est: ideo impediuntur tibi nuptię, quia duas vxores habere non potes.

8 ¶ Mariti tamen filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito, vel contra, matrimonium recte contrahunt: licet habeant fratrem sororemve ex matrimonio postea contracto natos.

9 ¶ Si vxor tua post diuortiũ ex alio filiam procreauerit: hæc non est quidem priuigna tua: sed Iulianus ab huiusmodi nuptiis abstinere debere ait. nam constat, nec spõsam filij nurum esse, nec patris sponsam nouercam esse: rectius tamen, & iure facturos eos, qui ab huiusmodi nuptiis abstinuerint.

10 ¶ Illud certum est, seruiles quoque cognationes impedimento nuptiis esse: si forte pater & filia, aut frater & soror manumissi fuerint.

11 ¶ Sunt & aliæ personæ, quæ propter diuersas rationes nuptias contrahere prohibentur, quas in libris Digestorum, seu Pandectarum, ex vetere iure collectarum, enumerari permisimus.

12 ¶ Si aduersus ea, quæ diximus, aliqui coierint: nec vir, nec vxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ij, qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt: sed tales sunt (quantum ad patriam potestatem pertinet) quales sunt ij, quos mater vulgo concepit. Nam nec hi, patrem habere intelliguntur, cum & his pater incertus sit. vnde solent spurij appellari

παρὰ

παρὰ τὴν σποράν. i. *à satione*, & ἀπάτορες, quasi sine patre filij. Sequitur ergo, vt dissoluto tali coitu, nec dotis, nec donationis exactioni locus sit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas patiuntur, quæ sacris constitutionibus cõtinentur.

13 ¶ Aliquando autem euenit, vt liberi, qui statim, vt nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea redigantur in potestatẽ patris: qualis est is, qui dum naturalis fuerat, postea curiæ datus, potestati patris subiicitur: nec nõ is, qui à muliere libera procreatus, cuius matrimonium minime legibus interdictum fuerat, sed ad quam pater cõsuetudinem habuerat, postea ex nostra constitutione dotalibus instrumẽtis compositis, in potestate patris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodẽ matrimonio postea fuerint procreati, similiter nostra cõstitutio prębuit.

DE ADOPTIONIBVS. TIT. XI.

NOn solum autem naturales liberi, secundum ea, quæ diximus, in potestate nostra sunt: verumetiam ij, quos adoptamus.

1 ¶ Adoptio autem duobus modis fit, aut principali rescripto, aut imperio magistratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis potest eos easve, qui quæve sui iuris sunt: quæ species adoptionis dicitur adrogatio. Imperio magistratus adoptamus eos easve, qui quæve in potestate parentum sunt, siue primum gradum liberorum obtineant: qualis est filius, filia: siue inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis.

2 ¶ Sed hodie ex nostra constitutione, cum filiusfamilias à patre naturali extraneæ personæ in adoptionem datur: iura patris naturalis minime dissoluuntur, nec quicquam ad patrem adoptiuum transit: nec in potestate eius est, licet ab intestato iura successionis ei à nobis tributa sint. Si vero pa-

ter naturalis non extraneo, sed auo filij sui materno, vel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam auo vel proauo simili modo paterno vel materno filium suum dederit in adoptionem: in hoc casu, quia concurrunt in vnam personam, & naturalia, & adoptionis iura: manet stabile ius patris adoptiui, & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo constitutum: vt & in familia, & in potestate huiusmodi patris adoptiui sit.

3 ¶ Cum autem impubes per principale rescriptum adrogatur, causa cognita adrogatio fieri permittitur, & exquiritur causa adrogationis an honesta sit, expediatque pupillo. Et cum quibusdam conditionibus adrogatio fit, id est, vt caueat adrogator personæ publicæ, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui, si adoptio facta non esset, ad successionē eius venturi essent. Item non aliter emancipare eum potest adrogator, nisi causa cognita dignus emancipatione fuerit, & tunc sua bona ei reddat. Sed & si decedens pater eum exheredauerit, vel viuus sine iusta causa emancipauerit: iubetur quartam partem ei bonorum suorū relinquere, videlicet præter bona, quæ ad patrem adoptiuum transtulit, & quorum commodum ei postea acquisiuit.

4 ¶ Minorem natu, maiorem non posse adoptare placet. adoptio enim naturā imitatur: & pro monstro est, vt maior sit filius, quam pater. Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem vel adrogationem facit, plena pubertate, id est, decem & octo annis præcedere.

5 ¶ Licet autem & in locum nepotis vel neptis, pronepotis vel proneptis, vel deinceps adoptare, quamuis filium quis non habeat.

6 ¶ Et tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quam nepotem in locum filij.

7 ¶ Sed

7 ¶ Sed si quis nepotis loco adoptet, vel quasi ex filio, quem habet iam adoptatum: vel quasi ex illo, quem naturalem in sua potestate habet: eo casu & filius consentire debet, ne ei inuito suus heres adgnascatur: sed ex contrario, si auus ex filio nepotem det in adoptionem, nō est necesse filiū consentire.

8 ¶ In plurimis autem causis adsimilatur is, qui adoptatus vel adrogatus est, ei, qui ex legitimo matrimonio natus est, & ideo, si quis per imperatorem, vel apud prætorem, vel præsidem prouinciæ non extraneum adoptauerit, potest eundem in adoptionem alij dare.

9 ¶ Sed & illud vtriusque adoptionis commune est, quod & ij, qui generare non possunt (quales sunt spadones) adoptare possunt. [castrati autem non possunt.]

10 ¶ Fœminæ quoq; adoptare non possunt: quia nec naturales liberos in sua potestate habent: sed ex indulgentia principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt.

11 ¶ Illud proprium est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit, quod is, qui liberos in potestate habet, si se adrogādum dederit, non solum ipse potestati adrogatoris subiicitur, sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate tanquam nepotes. sic etenim diuus Augustus non ante Tiberium adoptauit, quam is Germanicum adoptasset: vt protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Augusti nepos esse.

12 ¶ Apud Catonem bene scriptum refert antiquitas, seruos, si a domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari. Vnde & nos eruditi, in nostra constitutione etiam eum seruum, quem dominus actis interuenientibus filium suum nominauerat, liberum esse constituimus: licet hoc ad ius filij accipiendum non sufficiat.

QVIBVS MODIS IVS PATRIAE potestatis soluitur.

TITVLVS XII.

VIdeamus nunc, quibus modis ij, qui alieno iuri sunt subiecti, eo iure liberentur. Et quidem quemadmodum liberentur serui à potestate dominorum, ex iis intelligere possumus, quæ de seruis manumittendis superius exposuimus. Hi vero, qui in potestate parentis sunt, mortuo eo, sui iuris fiunt. Sed hoc distinctionem recipit. nam mortuo patre, sane omni modo filij filiæve sui iuris efficiuntur. Mortuo vero auo, non omnino nepotes nepteſque sui iuris fiunt: sed ita, si post mortem aui in potestatem patris sui recasuri non sunt. Itaque si moriente auo pater eorum viuit, & in potestate patris sui est, tunc post obitum aui in potestate patris sui fiunt. Si vero is, quo tempore auus moritur, aut iam mortuus est, aut [per emancipationem] exiit de potestate patris: tunc ij, qui in potestatem eius cadere non possunt, sui iuris fiunt.

1 ¶ Cum autē is, qui ob aliquod maleficium in insulam deportatur, ciuitatem amittit: sequitur, vt qui eo modo ex numero ciuium Romanorum tollitur, perinde quasi eo mortuo, desinant liberi in potestate eius esse. Pari ratione & si is, qui in potestate parentis sit, in insulam deportatus fuerit, desinit esse in potestate parentis. sed si ex indulgentia principis restituti fuerint: per omnia pristinum statum recipiunt.

2 ¶ Relegati autem patres in insulam, in potestate liberos retinent. Et ex contrario liberi relegati, in potestate parentum remanent.

3 ¶ Pœnæ seruus effectus, filios in potestate habere desinit. Serui autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui bestiis subiiciuntur.

4 ¶ Filiusfamilias si militauerit, vel si senator,

tor, vel consul factus fuerit: remanet in potestate patris. militia enim, vel consularis dignitas de patris potestate filium non liberat. Sed ex constitutione nostra summa Patriciatus dignitas illico imperialibus codicillis præstitis, filium à patria potestate liberat. quis enim patiatur patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suæ nexibus filium liberare: imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?

5 ¶ Si ab hostibus captus fuerit parens, quamuis seruus hostium fiat, tamen pendet ius liberorum propter ius postliminij: quia hi, qui ab hostibus capti sunt, si reuersi fuerint, omnia pristina iura recipiunt. idcirco reuersus etiam liberos habebit in potestate: quia postliminium fingit eum, qui captus est, in ciuitate semper fuisse. Si vero ibi decesserit: exinde, ex quo captus est pater, filius sui iuris fuisse videtur. Ipse quoque filius, neposve, si ab hostibus captus fuerit: similiter dicimus propter ius postliminij, ius quoque potestatis parentis in suspenso esse. Dictum est autem postliminium à limine, & post. Vnde eum, qui ab hostibus [captus est, &] in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum recte dicimus. Nam limina, sicut in domo finem quemdam faciunt: sic & imperij finem esse limen veteres voluerunt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus. ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limē reuertebatur, quod amiserat. Sed & qui captus victis hostibus recuperatur, postliminio redisse existimatur.

6 ¶ Præterea emancipatione quoque desinunt liberi in potestate parentum esse. sed emancipatio antea quidē vel per antiquam legis obseruationem procedebat, quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebrabatur, vel ex impe-

riali rescripto. Nostra autem prouidentia etiam hoc in melius per constitutionem reformauit: vt fictione pristina exposa, recta via ad competentes iudices vel magistratus, parentes intrent: & filios suos, vel filias, vel nepotes, vel neptes, ac deinceps, à sua manu dimittant. Et tunc ex edicto prætoris in bonis huiusmodi filij, vel filiæ, vel nepotis, vel neptis, qui quæve à parente manumissus, vel manumissa fuerit, eadem iura præstantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Et præterea si impubes sit filius, vel filia, vel cæteri: ipse parens ex manumissione tutelam eius nancisc̃itur.

7 ¶ Admonendi autem sumus, liberum arbitrium esse ei, qui filium, & ex eo nepotem vel neptem in potestate habebit: filium quidem de potestate dimittere: nepotem vero vel neptem retinere. & è conuerso filium quidem in potestate retinere, nepotem vero vel neptem manumittere, vel omnes sui iuris efficere. Eadem & de pronepote & pronepte dicta esse intelligantur.

8 ¶ Sed & si pater filium, quem in potestate habet, auo vel proauo naturali secundum nostras constitutiones super his habitas, in adoptione dederit: id est, si hoc ipsum actis interuenientibus apud competentē iudicem manifestauerit, præsente eo, qui adoptatur, & non contradicente, nec non eo [presente,] qui adoptat: soluitur quidem ius potestatis patris naturalis: tranfit autem in huiusmodi parentem adoptiuum, in cuius persona & adoptionem esse plenissimā antea diximus.

9 ¶ Illud autem scire oportet, quod si nurus tua ex filio tuo conceperit, & filium postea emancipaueris, vel in adoptionem dederis, prægnāte nuru tua: nihilominus quod ex ea nascitur, in potestate tua nascitur. Quod si post emancipationem, vel adoptionem conceptus fuerit: patris sui emancipati, vel aui adoptiui potestati subiicitur.

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0038
Mecklenburg Vorpommern

10 ¶ Et quidem neque naturales liberi, neque adoptiui vllo pene modo possunt cogere parentes, de potestate sua eos dimittere.

DE TVTELIS.

TIT. XIII.

TRanseamus nunc ad aliam diuisionem personarum. Nam ex his personis, quę in potestate non sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione, quędam neutro iure tenentur. Videamus ergo de his, quæ in tutela vel in curatione sunt. Ita enim intelligemus cæteras personas, quæ neutro iure tenentur. Ac prius despiciamus de his, quæ in tutela sunt.

1 ¶ Est autem tutela (vt Seruius definiuit) vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa.

2 ¶ Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exque ipsa re nomen acceperũt. itaque appellantur tutores, quasi tũitores atque defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur.

3 ¶ Permissum est itaque parentibus, liberis impuberibus, quos in potestate habent, testamento tutores dare. Et hoc in filios, filiasque procedit omnimodo. nepotibus vero neptibusque ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mortem eorum in potestatem patris sui non sunt recasuri. Itaque si filius tuus mortis tuæ tempore in potestate tua sit: nepotes ex eo non poterunt [ex] testamento tuo tutores habere, quamuis in potestate tua fuerint: scilicet quia mortuo te, in potestatem patris sui recasuri sunt.

4 ¶ Cum autem in compluribus aliis causis posthumi pro iam natis habeantur: & in hac causa placuit non minus posthumis, quam iam natis testamento tutores dari posse: si modo in ea causa sint, vt si vitijs parentibus nascerentur, sui [heredes,] & in potestate

eorum

eorum fierent.

5 ¶ Sed & si emancipato filio tutor à patre datus fuerit testamento: cófirmandus est ex sententia præsidis omnimodo, id est, sine inquisitione.

QVI TESTAMENTO TVTOres dari possunt.

TITVLVS XIIII.

DAri autem tutor potest testamẽto non solum paterfamilias, sed etiam filiusfamilias.

1 ¶ Sed & seruus proprius testamento cum libertate recte tutor dari potest. Sed sciendum est, eum & sine libertate tutorem datum, tacite libertatem directam accepisse videri, & per hoc recte tutorem esse. Plane si per errorẽ, quasi liber, tutor datus sit, aliud dicendum est. Seruus autem alienus pure inutiliter testamento datur tutor: sed ita, *cum liber erit*, vtiliter datur: proprius autem seruus inutiliter eo modo tutor datur.

2 ¶ Furiosus, vel minor viginti quinque annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, cum compos mentis, aut maior viginti quinque annis fuerit factus.

3 ¶ Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub cõditione, vel ante heredis institutionem posse dari tutorem non dubitatur.

4 ¶ Certæ autem rei vel causæ tutor dari non potest: quia personæ, non causæ, vel rei [tutor] datur.

5 ¶ Si quis filiabus suis vel filiis tutores dederit: etiam posthumæ [vel posthumo] dedisse videtur: quia filij vel filiæ appellatione & posthumus & posthuma continẽtur. Quod si nepotes sint, an appellatione filiorum & ipsis tutores dati sint? Dicendũ est, vt & ipsis quoq; dati videãtur: si modo liberos dixerit. Cæterum si filios: nõ continebuntur. aliter enim filij, aliter nepotes appellantur. Plane si posteris dederit: tam filij posthumi, quam cæteri liberi continebuntur.

DE LEGITIMA ADGNATORUM tutela.

TIT. XV.

QVibus autem testamento tutor datus non est: his ex lege duodecim tabularum adgnati sunt tutores, qui vocantur legitimi.

1 ¶ Sunt autem adgnati, [cognati] per virilis sexus cognationem coniuncti, quasi a patre cognati: veluti frater [ex] eodem patre natus, fratris filius neposve ex eo: item patruus, & patrui filius neposve ex eo. At qui per fœminini sexus personas cognatione iunguntur, adgnati nō sunt: sed alias naturali iure cognati. itaque amitæ tuæ filius non est tibi adgnatus, sed cognatus: & in vicem tu illi eodem iure coniungeris: quia qui [ex ea] nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur.

2 ¶ Quod autem [lex duodecim tabularum] ab intestato vocat ad tutelam adgnatos: non hanc habet significationem, si omnino non fecerit testamentū is, qui poterat tutores dare: sed si quantum ad tutelam pertinet intestatus decesserit. quod tunc quoq; accidere intelligitur, cum is, qui datus est tutor, vivo testatore decesserit.

3 ¶ Sed adgnationis quidem ius omnibus modis capitis deminutione plerumque perimitur: nam adgnatio iuris [ciuilis] nomē est: cognationis vero ius non omnibus modis commutatur: quia ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere potest, naturalia vero non vtique.

DE CAPITIS DEMINVTIONE.

TIT. XVI.

ESt autem capitis deminutio, status mutatio. Eaque tribus modis accidit. Nam aut maxima est capitis deminutio, aut minor (quam quidam mediam vocant) aut minima.

1 ¶ Maxima capitis deminutio est, cum ali

aliquis simul & ciuitatem & libertatem amittit. quod accidit in his, qui serui pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ: vel libertis, vt ingratis erga patronos condemnatis: [vel his,] qui se ad pretium participandum venundari passi sunt.

2 ¶ Minor, siue media capitis deminutio est, cum ciuitas quidem amittitur, libertas vero retinetur, quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit. vel ei, qui in insulam deportatus est.

3 ¶ Minima capitis deminutio est, cum ciuitas retinetur & libertas, sed status hominis commutatur: quod accidit in his, qui cū sui iuris fuerint, cœperunt alieno iuri subiecti esse, vel contra. [veluti si filius familias à patre emancipatus fuerit, est capite deminutus.]

4 ¶ Seruus autem manumissus, capite nō minuitur: quia nullum caput habuit.

5 ¶ Quibus autem dignitas magis, quàm status permutatur: capite non minuuntur: & ideo à senatu motos capite non minui constat.

6 ¶ Quod autem dictum est, manere cognationis ius etiam post capitis deminutionem: hoc ita est, si minima capitis deminutio interueniat. manet enim cognatio. nā si maxima capitis deminutio interueniat: ius quoque cognationis perit, vtputa seruitute alicuius cognati: & ne quidem manumissus si fuerit, recipit cognationem. Sed & si in insulam quis deportatus sit, cognatio soluitur.

7 ¶ Quum autem ad agnatos tutela pertineat: non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantum, qui proximiores gradu sunt: vel si plures eiusdem gradus sunt, ad omnes [pertinet: veluti si plures fratres sunt, qui vnum gradum obtinent, pariter ad tutelam vocantur.]

DE

DE LEGITIMA PATRONORUM tutela.

TIT. XVII.

EX eadem lege duodecim tabularum libertorum & libertarum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet, quæ & ipsa legitima tutela vocatur: non quia nominatim [in]ea lege de hac tutela caueatur: sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset. Eo enim ipso, quod hereditates libertorum libertarumque, si intestati decessisset, iusserat lex ad patronos liberosve eorum pertinere: crediderunt veteres voluisse legem etiam tutelas ad eos pertinere: cum & adgnatos quos ad hereditatem [lex] vocat, eosdem & tutores esse iusserit: quia plerunque vbi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. Ideo autem diximus plerunque: quia si à fœmina impubes manumittatur, ipsa ad hereditatem vocatur, quum alius sit tutor.

DE LEGITIMA PARENTum tutela.

TIT. XVIII.

EXemplo patronorum recepta est & alia tutela, quæ & ipsa legitima vocatur. nã si quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, & deinceps impuberes emancipauerit: legitimus eorum tutor erit.

DE FIDVCIARIA TVTELA.

TIT. XIX.

EST & alia tutela, quæ fiduciaria appellatur. nam si pater filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes manumiserit: legitimam nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi [eius] virilis sexus existant, fiduciarij tutores vel fratris, vel sororis efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque eius legitimi sunt tutores: quoniam filius quidem defuncti, si non esset à viuo

patre

patre emancipatus, post obitum eius sui iuris efficeretur, nec in fratrum potestatem recideret, ideoque nec in tutelam. Libertus autem, si seruus mansisset, vtique eodem iure apud liberos domini post mortem eius futurus esset. Ita tamen hi ad tutelam vocantur, si perfectæ sint ætatis. quod nostra constitutio in omnibus tutelis & curationibus obseruari generaliter præcepit.

DE ATILIANO TVTORE, ET eo qui ex lege Iulia & Titia dabatur. TIT. XX.

SI cui nullus omnino tutor fuerat: ei dabatur in vrbe quidem à prætore vrbano, & maiore parte tribunorum plebis tutor ex lege Atilia: in prouinciis vero à præsidibus prouinciarum ex lege Iulia & Titia.

1 ¶ Sed & si in testamento tutor sub cõditione, aut ex die certo datus fuerat: quamdiu conditio aut dies pendebat, ex eisdem legibus tutor dari poterat. Item si pure datus fuerat: quamdiu ex testamento nemo heres existebat, tamdiu ex eisdem legibus tutor petendus erat: qui desinebat esse tutor, si conditio extiterat, aut dies venerat, aut heres extiterat.

2 ¶ Ab hostibus quoque tutore capto, ex his legibus tutor petebatur: qui desinebat esse tutor, si is, qui captus erat, in ciuitatem reuersus fuerat. nam reuersus recipiebat tutelam iure postliminij.

3 ¶ Sed ex his legibus tutores pupillis desierunt dari, posteaquam primo consules pupillis vtriusque sexus tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde prætores ex constitutionibus. Nam supradictis legibus neque de cautione à tutoribus exigenda, rem saluam pupillis fore: neque de compellendis tutoribus ad tutelæ administrationem, quidquam cauebatur.

4 ¶ Sed hoc iure vtimur, vt Romæ quidem

dem præfectus vrbi, vel prætor secundum suam iurisdictionem, in prouinciis autem præsides ex inquisitione tutores crearent, vel magistratus iussu præsidum, si non sint magnæ pupilli facultates.

5 ¶ Nos autem per constitutionem nostram huiusmodi difficultates hominum resecantes: nec expectata iusione præsidum, disposuimus, si facultates pupilli vel adulti vsque ad quingentos solidos valeant, defensores ciuitatum vna cum eiusdem ciuitatis religiosissimo antistite, vel alias publicas personas, id est, magistratus, vel iuridicum Alexandrinæ ciuitatis, tutores vel curatores creare: legitima cautela secundum eiusdem constitutionis normam præstanda, videlicet eorum periculo, qui eam accipiūt.

6 ¶ Impuberes autē in tutela esse naturali iuri conueniens est, vt is, qui perfectę ætatis non sit, alterius tutela regatur.

7 ¶ Quum ergo pupillorum pupillarūque tutores negotia gerant: post pubertatem tutelæ iudicio rationem reddunt.

DE AVCTORITATE TVTORVM. TIT. XXI.

AVctoritas autem tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria. vt ecce si quid dari sibi stipulentur: non est necessaria tutoris auctoritas. quod si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris auctoritas. Nāque placuit meliorem quidem conditionē licere eis facere etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem vero non aliter quā [cum] tutoris auctoritate. Vnde in his causis, ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, vt in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis: si tutoris auctoritas non interueniat: ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur: at ixuicem pupilli non obligantur.

2 ¶ Neque tamen hereditatem adire, ne-

que bonorum possessionem petere, neque hereditatem ex fideicommisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate (quamuis [illis] lucrosa sit) ne vllum damnum habeant.

2 ¶ Tutor autem statim in ipso negotio præsens debet auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimauerit, post tempus vero, vel per epistolam interposita auctoritas, nihil agit.

3 ¶ Si inter tutorem pupillumque iudicium agendum sit: quia ipse tutor in rem suam auctor esse non potest: non prætorius tutor (vt olim) constituitur, sed curator in locum eius datur: quo [curatore] interueniente, iudicium peragitur, & eo peracto, curator esse desinit.

QVIBVS MODIS TVTELA finitur.

TIT. XXII.

PVpilli pupillæque, cum puberes esse cœperint, [à] tutela liberantur. Pubertatem autem veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem maiestas dignum esse castitate nostrorum temporum [existimans,] bene putauit: quod in fœminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere. Et ideo [nostra] sancta constitutione promulgata, pubertatem in masculis post decimumquartum annum completum illico initium accipere disposuimus: antiquitatis normam in fœminis bene positam, [in]suo ordine relinquentes, vt post duodecim annos completos viri potentes esse credantur.

1 ¶ Item finitur tutela, si adrogati sint adhuc impuberes, vel deportati: item si in seruitutem pupillus redigatur, vel [si] ab hostibus captus fuerit.

2 ¶ Sed & si vsque ad certam conditionem

nem datus sit [tutor] testamento: æque euenit, vt desinat esse tutor existente conditione.

3 ¶ Simili modo finitur tutela morte vel pupillorum, vel tutorum.

4 ¶ Sed & capitis deminutione tutoris, per quam libertas vel ciuitas amittitur, omnis tutela perit. Minima autem capitis deminutione tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, legitima tantum tutela perit, cæteræ non pereunt. Sed pupilli & pupillæ capitis deminutio licet minima sit, omnes tutelas tollit.

5 ¶ Præterea qui ad certum tempus testamento dantur tutores, finito eo, deponunt tutelam.

6 ¶ Desinunt etiam tutores esse, qui vel remouentur à tutela ob id quod suspecti visi sunt: vel qui ex iusta causa se excusant, & onus administrandæ tutelæ deponunt, secundum ea quæ inferius proponemus.

DE CVRATORIBVS.

TIT. XXIII.

Masculi [quidem] puberes, & fœminæ viri potentes, vsque ad vicesimum quintum annum completum curatores accipiunt: quia licet puberes sint, adhuc tamen eius ætatis sunt, vt sua negotia tueri non possint.

1 ¶ Dantur autem curatores ab eisdem magistratibus, à quibus & tutores. Sed curator testamento non datur: datus tamen cõfirmatur decreto prætoris vel præsidis.

2 ¶ Item inuiti adolescentes, curatores non accipiunt, præterquam in litem. curator enim & ad certam causam dari potest.

3 ¶ Furiosi quoque & prodigi, licet maiores vigintiquinque annis sint: tamen in curatione sunt adgnatorum ex lege duodecim tabularum. Sed solent Romæ præfectus vrbi vel prætores, & in prouinciis præsides ex inquisitione eis curatores dare.

4 ¶ Sed & mente captis, & surdis, & mu-

eis, & qui perpetuo morbo laborant (quia rebus suis superesse non possunt) curatores dandi sunt.

5 ¶ Interdum autem & pupilli curatores accipiunt, vtputa si legitimus tutor non sit idoneus: quoniam habenti tutorem tutor dari non potest. Item si testamento datus tutor, vel à prætore, aut præside, idoneus non sit ad administrationem, nec tamen fraudulenter negotia administret: solet ei curator adiungi. Item loco tutorum, qui non in perpetuum, sed ad tempus à tutela excusantur, solent curatores dari.

6 ¶ Quod si tutor aduersa valetudine, vel alia necessitate impediatur, quo minus negotia pupilli administrare possit: & pupillus vel absit, vel infans sit: quem velit actorem, periculo ipsius tutoris, prætor, vel qui prouinciæ præerit, decreto constituet.

DE SATISDATIONE TVTORum vel curatorum.

TIT. XXIV.

NE tamen pupillorum pupillarumve, & eorum qui quæve in curatione sunt, negotia a curatoribus tutoribusve consumantur, vel deminuantur: curet prætor, vt & tutores, & curatores eo nomine satisdent. Sed hoc non est perpetuum. nam tutores testamento dati satisdare non coguntur: quia fides eorum & diligentia ab ipso testatore adprobata est. item ex inquisitione tutores vel curatores dati, satisdatione non onerantur: quia idonei electi sunt.

1 ¶ Sed si ex testamento vel inquisitione duo pluresve dati fuerint: potest vnus offerre satisdationem de indemnitate pupilli vel adolescentis, & contutori suo vel concuratori præferri, vt solus administret: vel vt contutor aut concurator ? satis offerens præponatur ei, vt & ipse solus administret. Itaque

Itaque per se non potest petere satisdationem à contutore suo vel concuratore: sed offerre debet, vt electionem det concuratori vel contutori suo, vtrum velit satis accipere, an satisdare. Quod si nemo eorum satis offerat: si quidem adscriptum fuerit à testatore, quis gerat: ille gerere debet. Quod si non fuerit adscriptum: quem maior pars elegerit, ipse gerere debet, vt edicto prætoris cauetur. Sin autem ipsi tutores dissenserint circa eligendum eum, vel eos, qui gerere debent, prætor partes suas interponere debet. Idem & in pluribus ex inquisitione datis comprobandum est: id est, vt maior pars eligere possit, per quem administratio fiat.

2 ¶ Sciendum autem est, non solum tutores vel curatores pupillis vel adultis, cæterisque personis ex administratione rerum teneri: sed etiam in eos, qui satisdationem accipiunt, subsidiariam actionem esse, quæ vltimum eis præsidium possit afferre. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino à tutoribus vel curatoribus satisdari non curauerunt, aut non idonee passi sunt caueri. quæ quidem tam ex prudentium responsis, quam ex constitutionibus imperialibus etiam in heredes eorum extenditur.

3 ¶ Quibus constitutionibus & illud exprimitur, vt nisi caueant tutores & curatores, pignoribus captis coërceantur.

4 ¶ Neque autem præfectus vrbi, neque prætor, neque præses prouinciæ, neq; quisquam alius, cui tutores dandi ius est, hac actione tenebitur. sed hi tantummodo, qui satisdationem exigere solent.

DE EXCVSATIONE TVTORVM VEL CVRATORVM.

TIT. XXV.

Excusantur autem tutores & curatores variis ex causis, plerumque tamen pro-

pter liberos, siue in potestate sint, sine emancipati. Si enim tres liberos superstites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in prouinciis quinque: à tutela vel cura potest excusari, exemplo cæterorum munerum. nam & tutelam & curam placuit publicum munus esse. Sed adoptiui liberi nó prosunt. In adoptionem autem dati, naturali patri prosunt. Item nepotes ex filio prosunt, vt in locum patris sui succedant: ex filia non prosunt. Filij autem superstites tantum ad tutelæ vel curæ muneris excusationem prosunt: defuncti autem non prosunt. Sed si in bello amissi sunt: quæritum est, an prosint? Et constat eos solos prodesse, qui in acie amittuntur. hi enim, qui pro republica cecidérunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur.

1 ¶ Item diuus Marcus in Semestribus rescripsit, eum, qui res fisci administrat, à tutela vel cura, quamdiu administrat, excusari posse.

2 ¶ Item qui reipublicæ causa absunt, à tutela vel cura excusantur. Sed & si fuerint tutores vel curatores [dati,] deinde reipublicæ causa abesse cœperint: à tutela vel cura excusantur, quatenus reipublicæ causa absunt: & interea curator loco eorum datur: qui si reuersi fuerint, recipiunt onus tutelæ. nam nec anni habent vacationem, vt Papinianus libro quinto Responsorum scripsit. nam hoc spatium habent ad nouas tutelas vocati.

3 ¶ Et qui potestatem aliquam habent, se excusare possunt, vt diuus Marcus rescripsit: sed suceptam tutelam deferere non possunt.

4 ¶ Item propter litem, quam cum pupillo vel adulto tutor vel curator habet, excusari non potest: nisi forte de omnibus bonis, vel hereditate controuersia sit.

5 ¶ Item tria onera tutelæ non adfec-

ta-

tæ, vel curæ præstant vacationem, quamdiu administrantur: vt tamen plurium pupillorum tutela vel cura eorundem bonorum, veluti fratrum, pro vna computetur.

6 ¶ Sed & propter pauperratem excusationem tribui, tam diui fratres, quam per se diuus Marcus rescripsit, si quis imparem se oneri iniuncto possit docere.

7 ¶ Item propter aduersam valetudinem, propter quam ne suis quidem negotiis interesse potest, excusatio locum habet.

8 ¶ Similiter eos, qui litteras nesciunt, esse excusandos, diuus Pius rescripsit: quauis & imperiti literarum possint ad administrationem negotiorum sufficere.

9 ¶ Item si propter inimicitias aliquem testamento tutorem pater dederit: hoc ipsum præstat ei excusationem: sicut per contrarium non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserant.

10 ¶ Non esse autem admittendam excusationem eius, qui hoc solo vtitur, quod ignotus patri pupillorum sit, diui fratres rescripserunt.

11 ¶ Inimicitiæ, quas quis cum patre pupillorum vel adultorum exercuit: si capitales fuerunt, nec reconciliatio interuenit: à tutela vel cura solent excusare.

12 ¶ Item is, qui status controuersiam à pupillorum patre passus est, excusatur à tutela.

13 ¶ Item maior septuaginta annis à tutela & cura se potest excusare. minores autem viginti quinque annis, olim quidem excusabantur: nostra autem constitutione prohibentur ad tutelam vel curam aspirare: adeo, vt nec excusatione opus sit. Quæ constitutione cauetur, vt nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus: quum sit inciuile eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, &

ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire.

14 ¶ Idem & in milite obseruandum est, vt nec volens ad tutelæ onus admittatur.

15 ¶ Item Romæ grammatici, rhetores, & medici, & qui in patria sua has artes exercent, & intra numerum sunt: à tutela & cura habent vacationem.

16 ¶ Qui autem vult se excusare, si plures habeat excusationes, & de quibusdam non probauerit: aliis vti intra tempora [constituta] non prohibetur. Qui autem excusare se volunt, non appellant: sed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognouerint se esse tutores vel curatores datos, se excusare debent, cuiuscunque generis sint, id est, qualitercunque dati fuerint tutores: si intra centesimum lapidem sunt ab eo loco, vbi tutores dati sunt. Si vero vltra centesimum lapidem habitant: dinumeratione facta viginti milium diurnorum & amplius triginta dierum, qui tamen (vt Scæuola dicebat) sic debent computari, ne minus sint, quam quinquaginta dies.

17 ¶ Datus autem tutor, ad vniuersum patrimonium datus esse creditur.

18 ¶ Qui tutelam alicuius gessit, inuitus curator eiusdem fieri non compellitur: in tantum, vt licet paterfamilias, qui testamento tutorem dedit, adiecerit se eundem curatorem dare: tamen inuitum eum curam suscipere non cogendum, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

19 ¶ Iidem rescripserunt maritum vxori suæ curatorem datum, excusare se posse, liceret se immiscear.

20 ¶ Si quis autem falsis allegationibus excusationem tutelæ meruerit: non est liberatus onere tutelæ.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS, vel curatoribus.

TITVLVS XXVI.

SCiendum est, suspecti crimẽ etiam ex lege duodecim tabularum descendere.

1 ¶ Datum est autem ius removendi tutores suspectos Romæ prætori, & in prouinciis præsidibus earum, & legato procõsulis.

2 ¶ Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere: nunc videamus, qui suspecti fieri possint. Et possunt quidem omnes tutores fieri suspecti, siue sint testamẽtarij, siue non sint: sed alterius generis tutores. Quare & si legitimus fuerit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? Adhuc idem erit dicendum: dummodo meminerimus, famæ patroni parcendum esse, licet vt suspectus remotus fuerit.

3 ¶ Consequẽs est, vt videamus, qui possint suspectos postulare. Et sciendum est, quasi publicam esse hanc accusationem, hoc est, omnibus patere. Quinimmo & mulieres admittuntur [ex rescripto diuorum Seueri & Antonini:] sed eæ solæ, quæ pietatis necessitudine ductæ, ad hoc procedunt: vt puta mater, nutrix quoque, & auia. potest & soror. sed & si qua alia mulier fuerit, quam prætor propensa pietate intellexerit, sexus verecundiam non egredientem, sed pietate productam, non sustinere iniuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem.

4 ¶ Impuberes non possunt tutores suos suspectos postulare. puberes autem curatores suos ex consilio necessariorum suspectos possunt arguere: & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

5 ¶ Suspectus autem est, qui non ex fide tutelam gerit, licet soluendo sit, vt Iulianus quoque scripsit. Sed & ante, quàm incipiat

tutelam gerere tutor, posse eum quasi suspectum remoueri: idem Iulianus scripsit, & secundum eum constitutum est.

6 ¶ Suspectus autem remotus, si quidem ob dolum: famosus est. si ob culpam: non æque.

7 ¶ Si quis autem suspectus postulatur: quoad cognitio finiatur: interdicitur ei administratio, vt Papiniano visum est.

8 ¶ Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaquam tutor, vel curator decesserit, extinguitur suspecti cognitio.

9 ¶ Si quis tutor copiam sui non faciat, vt alimenta pupillo decernantur: cauetur epistola diuorum Seueri & Antonini, vt in possessionem bonorum eius pupillus mittatur: & quæ mora deteriora futura sunt, dato curatore distrahi iubentur. Ergo vt suspectus remoueri poterit, qui non præstat alimẽta.

10 ¶ Sed si quis præsens negat propter inopiam alimẽta posse decerni: si hoc per mendacium dicat: remittendũ eum esse ad præfectum vrbi puniendum placuit: sicut ille remittitur, qui data pecunia ministerium tutelæ adquisierit, vel redemerit.

11 ¶ Libertus quoque, si fraudulenter tutelam filiorum vel nepotum patroni gessisse probetur, ad præfectum vrbi remittitur puniendus.

12 ¶ Nouissime autem sciendum est: eos, qui fraudulenter tutelã administrant, etiam si satis offerant, remouendos esse à tutela: quia satisdatio tutoris propositum malenolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem præstat. Suspectum etiam eum putamus, qui moribus talis est, vt suspectus sit. Enimuero tutor vel curator, quamuis pauper est, fidelis tamen & diligens, remouendus non est quasi suspectus.

INSTI-

INSTITVTIONVM, seu Elementorum D. IVSTINIANI sacratissimi Principis,

LIBER SECVNDVS.

DE RERVM DIVISIONE, [& adquirendo ipsarum dominio.]

TITVLVS I.

SVPERIORE libro de iure personarum exposuimus: modo videamus de rebus, quæ vel in nostro patrimonio, vel extra patrimonium nostrum habentur. Quædam enim naturali iure communia sunt omnium, quædam publica, quædam vniuersitatis, quædam nullius, pleraque singulorum, quæ ex variis causis cuique adquiruntur, sicut ex subiectis apparebit.

1 ¶ Et quidem naturali iure communia sunt omnium hæc: aër, aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur: dum tamen à villis, & monumentis & ædificiis abstineat: quia non sunt iuris gentium, sicut est mare.

2 ¶ Flumina autem omnia, & portus, publica sunt. ideoque ius piscandi omnibus commune est in portu fluminibusque.

3 ¶ Est autem littus maris, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit.

4 ¶ Riparum quoque vsus publicus est iure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque naues ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen nauigare. sed proprietas earum illorum est, quo-

rum prædiis hærent. qua de causa arbores quoque in iisdem natæ, eorundem sunt.

5 ¶ Littorum quoque vsus publicus est, & iuris gentium, sicut & ipsius maris. & ob id cuilibet liberum est casam ibi ponere, in quâ se recipiat: sicut retia siccare, & ex mari deducere. proprietas autem eorum potest intelligi nullius esse: sed eiusdem iuris esse, cuius & mare, & quæ subiacet mari, terra vel arena.

6 ¶ Vniuersitatis sunt, non singulorũ, quæ in ciuitatibus sunt theatra, stadia, & si qua alia sunt communia ciuitatum.

7 ¶ Nullius autem sunt res sacræ & religiosæ, & sanctæ. quod enim diuini iuris est, id nullius in bonis est.

8 ¶ Sacræ res sunt, quæ rite per pontifices Deo consecratæ sunt: veluti ædes sacræ, & donaria quæ rite ad ministerium Dei dedicata sunt: quæ etiam per nostram constitutionem alienari & obligari prohibuimus: exceptâ causa redemptionis captiuorum. Si quis autem auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit: sacrum non est, sed profanum. Locus autem, in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet, vt & Papinianus scripsit.

9 ¶ Religiosum locum vnusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. [In communem autem locum purum inuito socio inferre non licet.] in commune vero sepulchrum etiam inuitis cæteris licet inferre. [Item si alienus vsusfructus est: proprietarium placet, nisi consentiente vsufructuario, locum religiosum non facere.] In alienum locum consentiente domino licet inferre: & licet postea ratum [non] habuerit, quam illatus est mortuus, tamen locus religiosus fit.

10 ¶ Sanctæ quoque res veluti muri, & portæ [ciuitatis,] quodãmodo diuini iuris sunt: & ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem

muros

ruros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes, quibus pœnas constituimus aduersus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus.

11 ¶ Singulorum autem hominum multis modis res fiunt. quarundam enim rerum dominium nanciscimur iure naturali, quod (sicut diximus) appellatur ius gentium: quarundam [vero] iure ciuili. Commodius est itaque à vetustiore iure incipere. palam est autem vetustius esse ius naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. ciuilia autem iura tunc esse cœperunt, cum & ciuitates condi, & magistratus creari, & leges scribi cœperunt.

12 ¶ Feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & [omnia] animalia, quæ mari, cœlo, & terra nascuntur: simulatque ab aliquo capta fuerint, iure gentium statim illius esse incipiunt. quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. nec interest, feras bestias & volucres vtrum in suo fundo quis capiat, an in alieno. Plane qui alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia: potest à domino, si is prouiderit, prohiberi, ne ingrediatur. Quicquid autem eorum ceperis: eousque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coërcetur. Cum vero tuam euaserit custodiam, & in libertatem naturalē sese receperit: tuum esse desinit, & rursus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, vt difficilis sit eius persequutio.

13 ¶ Illud quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, vt capi possit, statim tua esse intelligatur? [Et] quibusdam placuit, statim esse tuam: & eousque tuam videri, donec eam persequaris. quod si desieris persequi: desinere esse tuam, & rursus fieri occupantis. Alij vero putauerunt, non aliter tuam

esse,

esse, quam si eam ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quod multa accidere soleant, vt eam non capias.

14 ¶ Apium quoque fera natura est. Itaque [apes,] quæ in arbore tua consederint, antequam a te alueo includantur, non magis tuæ intelliguntur esse, quam volucres quæ in arbore tua nidum fecerint. ideoque si alius eas incluserit: is earum dominus erit. Fauos quoque, si quos effecerint, eximere quilibet potest. Plane integra re, si præuideris ingredientem fundum tuum, poteris eum iure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque, quod ex alueo tuo euolauerit, eo usque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persequutio eius est, alioquin occupantis fit.

15 ¶ Pauonum quoque & columbarum fera natura est. nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine euolare & reuolare solent. nam & apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. Ceruos quoque quidam ita mansuetos habent, vt in syluam ire, & redire soleant: quorum & ipsorum feram esse naturam, nemo negat. In iis autem animalibus, quæ ex consuetudine abire & redire solent, talis regula comprobata est: vt eousque tua esse intelligantur, donec animum reuertendi habeant. nam si reuertendi animum habere desierint: etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Reuertendi autem animum videntur desinere habere tunc, cum reuertendi consuetudinem deseruerint.

16 ¶ Gallinarum autem & anserum non est fera natura: idque ex eo possumus intelligere, quod aliæ sunt gallinæ, quas feras vocamus: item alij sunt anseres, quos feros appellamus. Ideoque si anseres tui, aut gallinæ tuæ, aliquo modo turbati turbatæve euolauerint: licet conspectum tuum effugerint, quocunque tamen loco sint, tui tuæve esse intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia

malia detinet, furtum committere intelligitur.

17 ¶ Item ea, quæ ex hostibus capimus, iure gentium statim nostra fiunt: adeo quidem, vt & liberi homines in seruitutem nostram deducantur: qui tamen, si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint: pristinum statum recipiunt.

18 ¶ Item lapilli, & gemmæ, & cætera, quæ in littore maris inueniuntur, iure naturali statim inuentoris fiunt.

19 ¶ Item ea, quæ ex animalibus dominio tuo subiectis nata sunt, eodem iure tibi adquiruntur.

20 ¶ Præterea quod per alluuionem agro tuo flumen adiecit, iure gentium tibi adquiritur. Est autem alluuio incrementum latens. Per alluuionem autem id videtur adiici, quod ita paulatim adiicitur, vt intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adiiciatur.

21 ¶ Quod si vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit: palam est eã tuam permanere. Plane si longiore tempore fundo vicini tui hæserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint: ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitæ esse.

22 ¶ Insula, quæ in mari nata est, (quod raro accidit) occupantis fit, nullius enim esse creditur. At insula in flumine nata (quod frequenter accidit) siquidem mediã partem fluminis tenet: communis est eorum, qui ab vtraque parte fluminis prope ripam prædia possident pro modo [scilicet] latitudinis cuiusque fundi, quæ prope ripam sit. Quod si alteri parti proximior sit: eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident. Quod si aliqua parte diuisum sit flumen, deinde infra vnitum, agrum alicuius in formam insulæ redegerit: eiusdem permanet is ager, cuius & fuerat.

23 ¶ Quod

23 ¶ Quod si naturali alueo in vniuersum derelicto, ad aliam partem fluere cœperit: prior quidem alueus eorum est, qui prope ripam eius prædia possident: pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, quæ prope ripam sit. nouus autem alueus eius iuris esse incipit, cuius & ipsum flumen est, id est, publicus. Quod si post aliquod tempus ad priorem alueum reuersum fuerit flumen: rursus nouus alueus eorum esse incipit, qui prope ripam eius prædia possident.

24 ¶ Alia sane causa est, si cuius totus ager inundatus fuerit. neque enim inundatio fundi speciem commutat: & ob id, si recesserit aqua: palam est eum fundum eius manere, cuius & fuit.

25 ¶ Quum ex aliena materia species aliqua facta sit ab aliquo: quæri solet, quis eorum naturali ratione dominus sit: vtrum is, qui fecerit, an potius ille, qui materiæ dominus fuerit? vt ecce, si quis ex alienis vuis, aut oliuis, aut spicis, vinum, aut oleum, aut frumentum fecerit: aut ex alieno auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecerit: vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit: vel ex medicamentis alienis emplastrū aut collyrium composuerit: vel ex aliena lana vestimentum fecerit: vel ex alienis tabulis nauem, vel armarium, vel subsellia fabricauerit. Et post multam Sabinianorum & Proculianorum ambigūitatem, placuit media sententia existimantium, si ea species ad priorem & rudem materiam reduci possit: eum videri dominum esse, qui materiæ dominus fuerit. si non possit reduci: eum potius intelligi dominum, qui fecerit: vt ecce, vas conflatum potest ad rudem materiam æris, vel argenti, vel auri reduci. vinum autem, vel oleum, aut frumentum ad vuas, vel oliuas, vel spicas reuerti non potest. at ne mulsum quidem ad vinū & mel resolui potest. Quod si partim ex sua materia, partim ex

ex aliena ſpeciem aliquá fecerit quis: veluti ex ſuo vino & alieno melle mulsũ miſcuerit, aut ex ſuis & alienis medicamẽtis emplaſtrũ aut collyrium, aut ex ſua lana & aliena veſtimentum fecerit: dubitandum non eſt, hoc caſu eum eſſe dominum, qui fecerit: cũ non ſolum operam ſuam dederit, ſed & partem eiuſdem materiæ præſtiterit.

26 ¶ Si [tamen] alienam purpuram veſtimento ſuo quis intexuerit: licet pretioſior ſit purpura, tamen accẽſionis vice cedit veſtimento: & qui dominus fuit purpuræ, aduerſus eum, qui ſubripuit, habet furti actionẽ, & condictionem: ſiue ipſe ſit, qui veſtimentum fecit, ſiue alius. nam extinctæ res, licet vindicari non poſſint, condici tamen furibus, & quibuſque aliis poſſeſſoribus poſſunt.

27 ¶ Si duorum materiæ ex voluntate dominorum confuſæ ſint: totum id corpus, quod ex confuſione fit, vtriuſque commune eſt: veluti ſi qui vina ſua confuderint, aut maſſas argenti vel auri conflauerint. Sed & ſi diuerſæ materiæ ſint, & ob id propria ſpecies facta ſit: forte ex vino & melle mulſum, aut ex auro & argento electrum: idem iuris eſt. nam & hoc caſu communem eſſe ſpeciem non dubitatur. Quod ſi fortuitu, & non voluntate dominorum confuſæ fuerint, vel eiuſdem generis materiæ, vel diuerſæ idem iuris eſſe placuit.

28 ¶ Quod ſi frumentum Titij frumento tuo miſtum fuerit, ſi quidem ex voluntate veſtra, commune eſt: quia ſingula corpora, id eſt, ſingula grana, quæ cuiuſque propria fuerunt, ex conſenſu veſtro communicata ſunt. Quod ſi caſu id miſtum fuerit, vel Titius id miſcuerit ſine tua voluntate, non videtur commune eſſe: quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant. Sed nec magis iſtis caſibus commune ſit frumentum, quam grex intelligitur eſſe communis, ſi pecora Titij tuis pecoribus miſta fuerint. Sed ſi ab alte-

rutro vestrum totum id frumentum retineatur: in rem quidem actio pro modo frumenti cuiusque competit: arbitrio autem iudicis continetur, vt ipse æstimet, quale cuiusque frumentum fuerit.

29 ¶ Cum in suo solo aliquis ex aliena materia ædificauerit, ipse intelligitur dominus ædificij: quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit. Nec tamen ideo is, qui materiæ dominus fuerat, desinit dominus eius esse: sed tantisper neque vendicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem duodecim tabularum, qua cauetur, ne quis tignum alienum ædibus suis iunctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet per actionem, quæ vocatur de tigno iuncto. Appellatione autem tigni omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt. Quod ideo prouisum est, ne ædificia rescindi necesse sit. Quod si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit duplum iam consequutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea re agere.

30 ¶ Ex diuerso, si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificauerit, illius sit domus, cuius & solum est. Sed hoc casu materiæ dominus proprietatem eius amittit: quia voluntate eius intelligitur esse alienata, vtique si non ignorabat se in alieno solo ædificare: & ideo licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest. Certe illud constat, si in possessione constituto ædificatore, soli dominus petat domum suam esse, nec soluat pretium materiæ, & mercedes fabrorum: posse eum per exceptionem doli mali repelli: vtique si bonæ fidei possessor fuerit, qui ædificauit. Nam scienti alienum solum esse, potest obiici culpa, quod ædificauerit temere in eo solo, quod intelligebat alienum esse.

31 ¶ Si Titius alienam plantam in solo suo

suo posuerit, ipsius erit. Et ex diuerso si Titius suam plantam in Mœuij solo posuerit, Mœuij planta erit. si modo vtroque casu radices egerit. ante enim, quam radices egerit, eius permanet, cuius fuerat. Adeo autem ex eo tempore, quo radices egerit planta, proprietas eius commutatur: vt si vicini arbor ita terram Titij presserit, vt in eius fundum radices egerit: Titij effici arborem dicamus. ratio enim non permitit vt alterius arbor esse intelligatur, quàm cuius in fundum radices egerit. Et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit.

32 ¶ Qua ratione autem plantæ, quæ terræ coalescunt, solo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur. Ceterum sicut is, qui in alieno solo ædificauit: si ab eo dominus petat ædificium, defendi potest per exceptionem doli mali, secundum ea, quæ diximus: ita eiusdem exceptionis auxilio tutus esse potest is, qui alienum fundum sua impensa, [bona fide] consecuit.

33 ¶ Literæ quoque, licet aureæ sint, perinde chartis membranisve cedunt, ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur aut inseruntur. ideóque si in chartis membranisve tuis carmen, vel historiam, vel orationem Titius scripserit: huius corporis non Titius, sed tu dominus esse videris. Sed si a Titio petas tuos libros, tuasve membranas, nec impensas scripturæ soluere paratus sis: poterit se Titius defendere per exceptionem doli mali. vtique si earum chartarum membranarumve possessionem bona fide nactus est.

34 ¶ Si quis in aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam picturę cedere: aliis videtur, picturam, qualiscumque sit, tabulæ cedere: sed nobis videtur melius esse, tabulam picturæ cedere. Ridiculum est enim

picturam Apellis vel Parrhasij in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. Vnde si à domino tabulæ imaginem possidente, is, qui pinxit, eam petat, nec soluat pretium tabulæ, poterit per exceptionem doli mali submoueri. At si is qui pinxit, [eam] possideat: consequens est, vt vtilis actio domino tabulæ aduersus eum detur: quo casu si non soluat impensam picturæ, poterit per exceptionem doli mali repelli, vtique si bona fide possessor fuerit ille, qui picturam imposuit. Illud enim palam est, quod siue is, qui pinxit, subripuit tabulas, siue alius: competit domino tabularum furti actio.

35 ¶ Si quis à non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliaue qualibet iusta causa æque bona fide acceperit: naturali ratione placuit fructus, quos percepit, eius esse pro cultura & cura. Et ideo si postea dominus superuenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei verò qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est: itaque cum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, cogitur restituere.

36 ¶ Is verò ad quem vsusfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quam si ipse eos perceperit. Et ideo licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit: ad heredes eius non pertinent, sed domino proprietatis adquiruntur. eadem fere & de colono dicuntur.

37 ¶ In pecudum fructu etiam fœtus est, sicuti lac, pilus & lana. itaque agni, hœdi, & vituli, & equuli, & suculi statim naturali iure dominij fructuarij sunt. Partus vero ancillæ in fructu non est, itaque ad dominum proprietatis pertinet. absurdum enim videbatur, hominem in fructu esse: quum omnes fructus rerum natura gratia hominis comparauerit.

38 ¶ Sed

38 ¶ Sed si gregis vsumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex fœtu fructuarius submittere debet, (vt & Iuliano visum est) & in vinearum demortuarum vel arborum locū, alias debet substituere. rectè enim colere, & quasi bonus paterfamilias vti debet.

39 ¶ Thesauros quos quis in loco suo inuenerit, diuus Hadrianus naturalem æquitatem sequutus, ei concessit, qui [eos] inuenerit. Idemque statuit, si quis in sacro, aut religioso loco fortuito casu inuenerit. At si quis in alieno loco, non data ad hoc opera, sed fortuitu inuenerit: dimidium domino soli concessit, & dimidium inuentori. Et conuenienter, si quis in Cæsaris loco inuenerit, dimidium inuentoris, & dimidium esse Cæsaris statuit. Cui conueniens est [vt] si quis in fiscali loco, vel publico vel [ciuitatis] inuenerit, dimidium ipsius esse [debeat,] & dimidium fisci, vel ciuitatis.

40 ¶ Per traditionem quoque iure naturali res nobis adquiruntur: nihil enim tam conueniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi: & ideo, cuiuscunque generis sit corporalis res, tradi potest, & à domino tradita alienatur. Itaque stipendiaria quoque & tributaria prædia eodem modo alienantur. Vocantur autem stipendiaria & tributaria prædia quæ in prouinciis sunt, inter quæ, necnon & Italica prædia, ex nostra constitutione nulla est differentia. sed si quidem ex causa donationis aut dotis, aut qualibet alia ex causa tradantur, sine dubio transferuntur.

41 ¶ Venditæ vero res & traditæ non aliter emptori adquiruntur, quam si is venditori pretium soluerit, vel alio modo ei satisfecerit veluti expromissore aut pignore dato. quod quanquam cauetur ex lege

duodecim tabularum, tamen recte dicitur & iure gentium, id est, iure naturali, id effici. Sed si is, qui vendidit, fidem emptoris sequutus fuerit, dicendum est, statim rem emptoris fieri.

42 ¶ Nihil autem interest, vtrum ipse dominus tradat alicui rem suam, an voluntate eius alius, [cui eius rei possessio permissa sit.]

43 ¶ Qua ratione si cui libera vniuersorum negotiorum administratio permissa fuerit à domino, isque ex his negotiis rem vendiderit & tradiderit: faciet eam accipientis.

44 ¶ Interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam: veluti si rem, quam tibi aliquis commodauerit, vel locauerit, aut apud te deposuerit, [postea aut vendiderit tibi,] aut donauerit, [aut dotis nomine dederit.] Quamuis enim ex ea causa tibi eam non tradiderit: eo tamen ipso, quod patitur tuam esse, statim tibi adquiritur proprietas, perinde ac si eo nomine tibi tradita fuisset.

45 ¶ Item si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque claues horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem.

46 ¶ Hoc amplius, interdum & in incertam personam collata voluntas domini transfert rei proprietatem: vt ecce, prætores & consules, cum missilia iactant in vulgus, ignorant quod eorum quisque sit excepturus: & tamen quia volunt quod quisque acceperit, eius esse: statim eum dominum efficiunt.

47 ¶ Qua ratione verius esse videtur, si rem pro derelicto à domino habitam occupauerit quis, statim eum dominum effici. Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abiecerit, vt id [in numero] rerum

rerum suarum esse nolit: ideoque statim dominus eius esse desinit.

48 ¶ Alia sane causa est earum rerum, quæ in tempestate leuandæ nauis causa eiiciuntur. hæ enim dominorum permanent: quia palam est eas non eo animo eiici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa naui maris periculũ effugiat. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Nec longe videntur discedere ab his, quę de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt.

DE REBVS CORPORALIbus, & incorporalibus.

TIT. II.

QVædam præterea res corporales sunt, quædam incorporales.

1 ¶ Corporales hæ sunt quæ tangi possunt: veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles.

2 ¶ Incorporales autem sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea, quę in iure consistunt: sicut hereditas, vsusfructus, vsus [&] obligationes quoquo modo contractæ. Nec ad rem pertinet, quod in hereditate res corporales continentur: nam & fructus qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt: & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerunque corporale est: veluti fundus, homo, pecunia. nam ipsum ius hereditatis, & ipsum ius vtendi fruendi, & ipsum ius obligationis incorporale est.

3 ¶ Eodem numero sunt iura prædiorum vrbanorum & rusticorum, quæ etiam seruitutes vocantur.

DE SERVITVTIBVS prædiorum.

TIT. III.

RVsticorum prædiorum iura sunt hæc: iter, actus, via, aquæductus. Iter est ius

eundi ambulandi hominis, non etiam iumentum agendi, [vel vehiculum.] Actus est ius agendi vel iumentum, vel vehiculum. Ita qui habet iter, actum non habet: qui actum habet, & iter habet, [eoque vti potest] etiam sine iumento. Via est ius eundi & agendi & ambulandi: nam & iter & actum via in se continet. Aquæductus est ius aquæ ducendæ per fundum alienum.

1 ¶ Prædiorum vrbanorum seruitutes sunt hæ, quæ ædificiis inhærent: ideo vrbanorum prædiorum dictæ, quoniam ædificia omnia, vrbana prædia appellamus, etsi in villa ædificata sint. Item vrbanorum prædiorum seruitutes sunt, vt vicinus onera vicini sustineat: vt in parietem eius liceat vicino tignum immittere: vt stillicidium vel flumen recipiat quis in ædes suas, vel in aream, vel in cloacam: ne altius quis tollat ædes suas, ne luminibus vicini officiat.

2 ¶ Inter rusticorum prædiorum seruitutes quidam computari recte putant aquæ haustum, pecoris ad aquam adpulsum, ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

3 ¶ Ideo autem hæ seruitutes prædiorum appellantur, quoniam sine prædiis cõstitui non possunt. Nemo enim potest seruitutem adquirere vrbani vel rustici prædij, nisi qui habet prædium.

4 ¶ Si quis velit vicino aliquod ius constituere: pactionibus atque stipulationibus id efficere debet. Potest etiam testamento quis heredem suum damnare ne altius tollat ædes suas, ne luminibus ædium vicini officiat: vel vt patiatur eum tignum in parietem suum immittere, stillicidiumve aduersus eum habere: vel vt patiatur eum per fundum ire, agere, aquamve ex eo ducere.

DE VSVFRVCTV.

TIT. IV.

VSusfructus est ius alienis rebus vtendi fruendi salua rerum substantia. Est autem

rem ius in corpore: quo sublato & ipsum tolli necesse est.

1 ¶ Vsusfructus à proprietate separationem recipit: idque pluribus modis accidit: vt ecce, si quis vsumfructum alicui legauerit. nam heres nudam habet proprietatem, legatarius vero vsumfructum. Et contra, si fundum legauerit deducto vsufructu: legatarius nudam habet proprietatem: heres vero vsumfructum. Item alij vsumfructum, alij deducto eo fundum legare potest. Sine testamento [vero] si quis velit vsumfructum alij constituere: pactionibus & stipulationibus id efficere debet. Ne tamen in vniuersum inutiles essent proprietates, semper abscedente vsufructu: placuit certis modis extingui vsumfructum, & ad proprietatem reuerti.

2 ¶ Constituitur autem vsusfructus non tantum in fundo & ædibus, verumetiam in seruis, & iumentis, & cæteris rebus: [exceptis iis, quæ ipso vsu consumuntur.] Nam hæ res neque naturali ratione, neque ciuili recipiunt vsumfructum, quo[in] numero sunt vinum, oleum, frumentum, vestimenta: quibus proxima est pecunia numerata. namque ipso vsu assidua permutatione quodammodo extinguitur. Sed vtilitatis causa senatus censuit, posse etiam earum rerum vsumfructum constitui: vt tamen eo nomine heredi vtiliter caueatur. Itaque si pecuniæ vsusfructus legatus sit: ita datur legatario, vt eius fiat, & legatarius satisdet heredi de tanta pecunia restituenda, si morietur, aut capite minuetur. Cæteræ quoque res ita traduntur legatario, vt eius fiant: sed æstimatis his satisdatur: vt si moriatur, aut capite minuatur, tanta pecunia restituatur, quanti hæ fuerint [æstimatæ.] Ergo senatus non fecit quidem earum rerum vsumfructū, (nec enim poterat) sed per cautionem quasi vsumfructum constituit.

3 ¶ Finitur autem vsusfructus morte vsufructuarij, & duabus capitis deminutionibus maxima & media, & non vtendo per modum & tempus: quæ omnia nostra statuit constitutio. Item finitur vsusfructus, si domino proprietatis ab vsufructuario cedatur: (nam cedendo extraneo, nihil agitur) vel ex contrario si vsufructuarius proprietatem rei adquisierit, quæ res consolidatio appellatur. Eo amplius conitat, si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitio suo corruerint: extinguitur vsusfructum, & ne areæ quidem vsumfructum deberi.

4 ¶ Cum autem finitus fuerit totus vsusfructus, reuertitur scilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere potestatem.

DE VSV ET HABITATIONE. TIT. V.

Isdem illis modis, quibus vsusfructus cõstituitur, etiam nudus vsus constitui solet: iisdemque illis modis finitur, quibus & vsusfructus definit.

1 ¶ Minus autem iuris est in vsu, quam in vsufructu, nam is, qui fundi nudum habet vsum, nihil vlterius habere intelligitur, quã vt oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, & lignis ad vsum cotidianum vtatur: in eoque fundo hactenus ei morari licet, vt neque domino fundi molestus sit, neque iis, per quos opera rustica fiunt impedimento: nec vlli alij ius, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest: [quum is, qui vsumfructum habet, possit hæc omnia facere.]

2 ¶ Item is, qui ædium vsum habet, hactenus ius habere intelligitur, vt ipse tantum inhabitet, nec hoc ius ad alium transferre potest. & vix receptum esse videtur, vt hospitem ei recipere liceat: cum vxore, liberisque

risque suis, item libertis: nec non personis aliis liberis, quibus non minus, quam seruis vtitur, habitandi ius habeat. Et conuenienter, si ad mulierem vsus ædium pertineat, cum marito ei habitare liceat.

3 ¶ Item is, ad quem serui vsus pertinet, ipse tantum opera atque ministerio eius vti potest: ad alium vero nullo modo ius suum transferre ei concessum est. Idem scilicet iuris est & in iumento.

4 ¶ Sed & si pecorum, vel ouium vsus legatus sit: neque lacte, neque agnis, neque lana vtetur vsuarius, quia ea in fructu sunt. Plane ad stercorandum agrum suum pecoribus vti potest.

5 ¶ Sed si cui habitatio legata, siue aliquo modo constituta sit, neque vsus videtur, neque vsusfructus, sed quasi proprium aliquod ius: quanquam habitationem habentibus, propter rerum vtilitatem, secundum Marcelli sententiam nostra decisione promulgata, permisimus non solum in ea degere, sed etiam aliis locare.

6 ¶ Hæc de seruitutibus, & vsufructu, & vsu, & habitatione dixisse sufficiat. De hereditatibus autem & obligationibus, suis locis proponemus. Exposuimus summatim quibus modis iure gentium res adquiruntur: modo videamus, quibus modis legitimo & ciuili iure adquiruntur.

DE VSVCAPIONIBVS, ET longi temporis præscriptionibus.

TIT. VI.

IVre ciuili constitutum fuerat, vt qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cũ crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliaue quauis iusta causa acceperit, is eam rem, si mobilis erat, anno vbique vno: si immobilis, biennio tantum in Italico solo vsucaperet, ne rerum dominia in incerto essent. Et quum hoc placitũ erat, putantibus antiquioribus, dominis sufficere

ad inquirendas res suas præfata tempora: nobis melior sententia resedit, ne domini maturius suis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur: & ideo constitutionem super hoc promulgauimus, qua cautum est, vt res quidem mobiles, per triennium: immobiles vero per longi temporis possessionem (id est, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis) vsucapiantur. & his modis non solum in Italia, sed etiam in omni terra, quæ nostro imperio gubernatur, dominia rerum iusta causa possessionis præcedente adquirantur.

1 ¶ Sed aliquando etiam si maxime quis bona fide rem possederit: non tamen illi vsucapio vllo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel seruum fugitiuum possideat.

2 ¶ Furtiuæ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessæ fuerint, vsucapi possunt. nam furtiuarum rerũ lex duodecim tabularum, & lex Atilia, inhibent vsucapionem: vi possessarum, lex Iulia & Plautia.

3 ¶ Quod autem dictum est, furtiuarum & vi possessarum rerum vsucapionem per leges prohibitam esse: non eo pertinet, vt ne ipse fur, quive per vim possidet, vsucapere possit (nam his alia ratione vsucapio non competit, quia scilicet mala fide possident) sed ne vllus alius, quamuis ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, vsucapiendi ius habeat. Vnde in rebus mobilibus non facile procedit, vt bonæ fidei possessoribus vsucapio competat. Nam qui [sciens] alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit, furtum eius committit.

4 ¶ Sed tamen id aliquando aliter se habet. nam si heres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depositam, existimãs hereditariam esse, bona fide accipienti

pfenti vendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit: quin is, qui acceperit, vsucapere possit, dubium non est: quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit: quum vtique heres, qui bona fide ranquam suam alienauerit, furtum non committat.

5 ¶ Item si is, ad quem ancillæ vsusfructus pertinet, partum suum esse credens vendiderit, aut donauerit, furtum non committit. furtum enim sine affectu furandi non committitur.

6 ¶ Aliis quoque modis accidere potest, vt quis sine vitio furti, rem alienam ad alinquem transferat, & efficiat, vt à possessore vsucapiatur.

7 ¶ Quod autem ad eas res, quæ solo continentur, expedit, ius ita procedit, vt si quis loci vacantis possessionem propter absentiam aut negligentiam domini, aut quia sine successore decesserit, sine vi nanciscatur: quamuis ipse mala fide possideat (quia intelligit se alienum fundum occupasse) tamen si alij bona fide accipienti tradiderit, poterit ei longa possessione res adquiri: quia neque furtiuum, neque vi possessum acceperit. Abolita est enim quorundam veterum sententia, existimantium etiam fundi locive furtum fieri. & eorum vtilitati, qui res soli possident, principalibus constitutionibus prospicitur, ne cui longa & indubitata possessio debeat auferri.

8 ¶ Aliquando enim furtiua, vel vi possessa res vsucapi potest: veluti si in domini potestatem reuersa fuerit. tunc enim vitio rei purgato, procedit eius vsucapio.

9 ¶ Res fisci nostri vsucapi non potest. Sed Papinianus scripsit, bonis vacantibus fisco nondum nunciatis, bonæ fidei emptorem traditam sibi rem ex his bonis vsucapere posse: & ita diuus Pius, & diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

10 ¶ Nouissime sciendum est, rem talem esse

esse debere, vt in se non habeat vitium, vt à bonæ fidei emptore vsucapi possit, vel qui ex alia iusta causa possidet.

11 ¶ Error autem falsæ causæ vsucapionem non parit: veluti si quis cum non emerit, emisse se existimans, possideat: vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.

12 ¶ Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, & heredi, & bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat prædium alienum esse. quod si ille initium iustum non habuit: heredi & bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest. Quod nostra constitutio similiter & in vsucapionibus obseruari constituit, vt tempora continuentur. Inter venditorem quoque & emptorem coniungi tempora, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

13 ¶ Edicto diui Marci cauetur, eum, qui à fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium præterierit, posse dominum rei exceptione repellere. Constitutio autem diuæ memoriæ Zenonis bene prospexit iis, qui à fisco per venditionem, aut donationem, vel alium titulum accipiunt aliquid: vt ipsi quidem securi statim fiant: & victores existant, siue experiantur, siue conueniatur. Aduersus autem sacratissimum ærarium vsque ad quadriennium liceat eis intendere, qui pro domino vel hypotheca earum rerum, quæ alienatæ sunt, putauerint sibi quasdam competere actiones. Nostra autem diuina constitutio, quam nuper promulgauimus, etiam de iis, qui à nostra, vel venerabilis Augustæ domo aliquid acceperint, hæc statuit, quæ in fiscalibus alienationibus præfatæ Zenonianæ constitutionis continentur.

DE

DE DONATIONIBVS.

TIT. VII.

ESt & aliud genus adquisitionis, donatio. Donationum autem duo sunt genera: mortis causa, & non mortis causa.

1 ¶ Mortis causa donatio est, quæ propter mortis sit suspicionem: cum quis ita donat, vt si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit. sin autem superuixisset: is, qui donauit, reciperet: vel si eum donationis pœnituisset: aut prior decesseritis, cui donatum sit. Hæ mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per omnia: nam cum prudentibus ambiguum fuerat, vtrum donationis, an legati instar eam obtinere oporteret, & vtriusque causæ quædam habebat insignia, & alij ad aliud genus eam retrahebant: à nobis constitutum est, vt per omnia fere legatis connumeretur, & sic procedat, quemadmodum nostra constitutio eam formauit. Et in summa, mortis causa donatio est, cum magis se quis velit habere, quam eum, cui donat: magisque eum, cui donat, quam heredem suum: sic & apud Homerum Telemachus donat Piræo.

Πείραι, οὐ γὰρ τ' ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδ' ἔργα,
Εἴκεν ἐμὲ μνηστῆρες, ἀγήνορες ἐν μεγάροισι
Λάθρῃ κτείναντες, πατρῴϊα πάντα δάσονται.
Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ' ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶν δέ.
Εἰ δέ κ' ἐγὼ τούτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων. id est:

Piræe, incertus quoniam rerum exitus harum est,
Si tacita incautum stolidi me forte necare
Morte proci poterunt, & opes vexare paternas:
Hæc ego te malo, quam illorum quempiam habere.
Sin ego eos iusta meritos affecero clade,
Tum mihi tu læto reddes illa omnia lætus.

2 ¶ Aliæ autem donationes sunt, quæ sine

vlla

vlla mortis cogitatione fiunt, quas inter vivos appellamus, quæ non omnino comparantur legatis: quæ si fuerint perfectæ, temere revocari nō possunt. Perficiuntur autem, cum donator suam voluntatem scriptis, aut sine scriptis manifestauerit. Et ad exēplum venditionis, nostra constitutio eas etiam in se habere necessitatem traditionis voluit: vt etiam si non tradantur, habeant plenissimum & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori. Et cum retro principum dispositiones insinuari eas actis interuenientibus volebant, si maiores fuerant ducentorum solidorum: constitutio nostra eam quantitatem vsque ad quingentos solidos ampliauit, quam stare etiam sine insinuatione statuit: sed & quasdam donationes inuenit, quæ penitus insinuationē fieri minime desiderant, sed in se plenissimā habent firmitatem. Alia insuper multa ad vberiorem exitum donationū inuenimus: quæ omnia ex nostris constitutionibus, quas super his exposuimus, colligenda sunt. Sciendum est tamē, quod etsi plenissimæ sint donationes: si tamen ingrati existant homines, in quos beneficium collatū est: donatoribus per nostram constitutionem licentiā præstimus certis ex causis eas reuocare: ne illi, qui suas res in alios cōtulerint, ab his quandam patiantur iniuriam vel acturā, secundū enumeratos in constitutione nostra modos.

3 ¶ Est & aliud genus inter viuos donationis, quod veteribus quidē prudentibus penitus erat incognitum, postea autem à inferioribus diuis principibus introductum est, quod ante nuptias vocabatur: & tacitam in se conditionem habebat, vt tunc ratū esset, cum matrimonium esset insequutum. Ideoque ante nuptias appellabatur, quod ante matrimonium efficiebatur, & nunquam post nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidem diuus Iustinus pa-

tes

ter noſter, cum augeri dotes & poſt nuptias fuerat permiſſum : ſi quid tale eueniret, & ante nuptias augeri donationem & cõſtante matrimonio, ſua conſtitutione permiſit: ſed tamen nomen inconueniẽs remanebat, cum ante nuptias quidẽ vocabatur, poſt nuptias autem tale accipiebat incrementũ. Sed nos pleniſsimo fini tradere ſanctiones cupientes, & conſequentia nomina rebus eſſe ſtudentes, cõſtituimus, vt tales donationes non augeantur tantum, ſed etiam conſtante matrimonio initium accipiant : & non ante nuptias, ſed propter nuptias vocentur : & dotibus in hoc exequentur, vt quemadmodũ dotes conſtante matrimonio non ſolum augentur, ſed etiam fiuntita & iſtæ donationes, quæ propter nuptias introductæ ſunt, non ſolum antecedant matrimoniũ, ſed eo etiam contracto augeantur, & cõſtituantur.

4 ¶ Erat olim & alius modus ciuilis adquiſitionis, per ius adcreſcendi, quod eſt tale : Si communem ſeruum habens aliquis cum Titio, ſolus libertatem ei impoſuerit vel vindicta, vel teſtamento : eo caſu pars eius amittebatur, & ſocio adcreſcebat. Sed cum peſsimum fuerat exemplo, & libertate ſeruum defraudari, & ex ea humanioribus quidem dominis damnum inferri, ſæuioribus autem dominis lucrum accedere : hoc quaſi inuidia plenum, pio remedio per noſtram conſtitutionem mederi neceſſarium duximus. Et inuenimus viam, per quam & manumiſſor, & ſocius eius, & qui libertatem accepit, noſtro beneficio fruantur libertate cum effectu procedente (cuius fauore antiquos legumlatores multa etiã contra communes regulas ſtatuiſſe manifeſtum eſt) & eo, qui eam libertatem impoſuit, ſuæ liberalitatis ſtabilitate gaudente : & ſocio indemni conſeruato, pretiumque ſerui ſecundum partem dominij, quod nos definiimus, accipiente.

QVIBVS ALIENARE LICEAT, vel non.

TIT. VIII.

ACcidit aliquando, vt qui dominus sit, alienare non possit: & contra, qui dominus non sit, alienandæ rei potestate habeat. Nam dotale prædium maritus inuita muliere per legem Iuliam prohibetur alienare: quamuis ipsius sit, dotis causa ei datum, quod nos, legem Iuliam corrigentes, in melioremstatum deduximus. Cum enim lex in solis tantummodo rebus locum habebat, quæ Italicæ fuerant: & alienationes inhibebat, quæ inuita muliere fiebant, hypothecas autem earū rerum, etiam volente ea: vtrique remedium imposuimus, vt etiam in eas res, quæ in prouinciali solo positæ sunt, interdicta sit alienatio vel obligatio: vt neutrum eorum neque consentientibus mulieribus procedat, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum conuertatur.

1 ¶ Contra autem creditor pignus ex pactione, quamuis eius ea res non sit, alienare potest. Sed hoc forsitan ideo videtur fieri, quod volūtate debitoris intelligitur pignus alienari, quia ab initio contractus pactus est, vt liceret creditori pignus vendere, si pecunia non soluatur. Sed ne creditores ius suum persequi impedirentur, neque debitores temere suarum rerum dominium amittere viderentur: nostra constitutione cōstitutum est, & certus modus impositus est, per quem pignorum distractio posit procedere: cuius tenore vtrique parti, creditorum, & debitorum, satis abunde prouisum est.

2 ¶ Nunc admonendi sumus, neque pupillum, neque pupillam vllam rem sine tutoris auctoritate alienare posse. Ideoque si mutuam pecuniam sine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationē: quia pecuniam non facit accipientis, ideoque vindicare

vindicari nummi possunt, sicubi extant. Sed si nummi, quos mutuo minor dederit, ab eo, qui accipit, bona fide cōsumpti sunt: condici possunt. si mala fide, ad exhibendum de his agi potest. At ex contrario, omnes res pupillo & pupillæ sine tutoris auctoritate rectè dari possunt. Ideoque si debitor pupillo soluat: necessaria est debitori tutoris auctoritas, alioqui non liberabitur. Sed hoc etiam euidentissima ratione statutum est in constitutione, quam ad Cæsarienses aduocatos ex suggestione Triboniani viri eminentissimi, quæstoris sacri palatij nostri, promulgauimus: qua dispositum est, ita licere tutori vel curatori debitorem pupillarem soluere, vt prius iudicialis sententia sine omni damno celebrata, hoc permittat. quo subsequuto, si & iudex pronunciauerit, & debitor soluerit: sequatur huiusmodi solutionem plenissima securitas. Sin autem aliter, quam dispositum est, solutio facta fuerit, pecuniam autem saluam habeat pupillus, aut ex ea locupletior sit, & adhuc eandē pecuniæ summam petat: per exceptionem doli mali poterit submoueri. Quod si male consumpserit, aut furto, [aut vi] amiserit: nihil proderit debitori doli mali exceptio, sed nihilominus condemnabitur: quia temere sine tutoris auctoritate, & non secundum nostram dispositionē soluerit. Sed ex diuerso, pupilli vel pupillæ soluere sine tutoris auctoritate non possunt, quia id, quod soluunt, non fit accipientis: quum scilicet nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate concessa sit.

PER QVAS PERSONAS CVIque adquiritur.

TITVLVS IX.

ADquiritur vobis non solum per vosmetipsos, sed etiam per eos, quos in potestate habetis: [item per seruos, in quibus vsumfructum habetis:] item per homines liberos, & per seruos alienos quos

bona fide possidetis, de quibus singulis diligentius dispiciamus.

1 ¶ Igitur liberi vestri vtriusque sexus, quos in potestate habetis, olim quidē, quicquid ad eos pertinerat (exceptis videlicet castrensibus peculiis) hoc parentibus suis adquirebant sine vlla distinctione: & hoc ita parentum fiebat, vt etiam esset eis licentia, quod per vnū vel vnam eorum adquisitum esset, alij filio, vel extraneo donare, vel vendere, vel quocunque modo voluerant, adplicare. Quod nobis inhumanum visum est: & generali constitutione emissa, & liberis pepercimus, & patribus honorem debitum reseruauimus. Sancitum etenim à nobis est, vt si quid ex re patris ei obueniat, hoc secundum antiquam obseruationem totum parenti adquiratur. Quæ enim inuidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reuerti? Quod autem ex alia causa sibi filiusfamilias adquisiuit: huius vsumfructum patri quidē adquirat, dominiū autem apud eum remaneat: ne quod ei suis laboribus, vel prospera fortuna accesserit, hoc in alium perueniens, luctuosum ei procedat.

2 ¶ Hoc quoque à nobis dispositum est & in ea specie, vbi parens emancipando liberos suos ex rebus, quæ adquisitionem effugiebant, sibi tertiam partem retinere (si voluerat) licentiam ex anterioribus constitutionibus habebat, quasi pro pretio quodammodo emancipationis: & inhumanum quiddam accidebat, vt filius rerum suarum ex hac emancipatione dominio pro parte [tertia] defraudaretur: & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quod sui iuris effectus esset, hoc per rerum diminutionem decrescerat. Ideoque statuimus, vt parens pro tertia parte dominij, quam retinere poterat, dimidiam nō dominij rerum, sed vsusfructus retineat. Ita etenim res intactę apud filium remanebunt, & pater ampliore summa

ma fruetur, pro tertia dimidia potiturus.

3 ¶ Itē vobis adquiritur, quod serui vestri ex traditione nanciscuntur: siue quid stipulentur, siue ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia causa adquirant. Hoc enim vobis ignorantibus & inuitis obuenit. Ipse enim seruus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. Sed si heres institutus sit, non alias nisi vestro iussu, hereditatem adire potest. Et si vobis inbctibus adierit: vobis hereditas adquiritur, perinde ac si vos ipsi heredes instituti essetis. Et conuenienter scilicet vobis legatum per eos adquiritur. Non solum autem proprietas per eos, quos in potestate habetis, vobis adquiritur: sed etiam possessio. Cuiuscumq; enim rei possessionem adepti fuerint, id vos possidere videmini. Vnde etiam per eos vsucapio, vel longi temporis possessio vobis accedit.

4 ¶ De iis autem seruis, in quibus tantummodo vsumfructum habetis, ita placuit: vt quidquid ex re vestra, vel ex operis suis adquirant, id vobis adiiciatur: quod vero extra eas causas consequuti sunt, id ad dominum proprietatis pertineat. Itaque si is seruus heres institutus sit, legatumve quid ei, aut donatum fuerit: non vsufructuario, sed domino proprietatis adquiritur. Idem placet & de eo, qui à vobis bona fide possidetur: siue is liber sit, siue alienus seruus. Quod enim placuit de vsufructuario, idem placet & de bonæ fidei possessore. Itaque quod extra istas duas causas adquiritur id vel ad ipsum pertinet, si liber est: vel ad dominum, si seruus est. Sed bonæ fidei possessor eū vsuceperit seruum, (quia eo modo dominus fit) ex omnibus causis per eum sibi adquirere potest. Fructuarius vero vsucapere non potest: primum, quia non possidet, sed habet ius vtendi fruendi: deinde quia scit seruum alienum esse. Non solum autem proprietas

per eos seruos, in quibus vsumfructum habetis, vel quos bona fide possidetis, aut per liberam personam, quæ bona fide vobis seruit, vobis adquiritur: sed etiam possessio. Loquimur autem in vtriusque personæ secundum distinctionem, quam proxime exposuimus: id est, si quam possessionem ex re vestra, vel ex suis operis adepti fuerint.

5 ¶ Ex his itaque apparet, per liberos homines, quos neque vestro iuri subiectos habetis, neque bona fide possidetis: item per alienos seruos, in quibus neque vsumfructū habetis, neque possessionem iustam: nulla ex causa vobis adquiri posse. Et hoc est, quod dicitur, per extraneam personam nihil adquiri posse: excepto eo, quod per liberam personam (veluti per procuratorem) placet non solum scientibus, sed & ignorantibus vobis adquiri possessionem, secundum diui Seueri constitutionem: & per hāc possessionem etiam dominium, si dominus fuerit, qui tradidit: vel vsucapionem, aut longi temporis præscriptionem, si dominus non sit.

6 ¶ Hactenus tātisper admonuisse sufficiat, quemadmodum singulæ res vobis adquirantur. nam legatorum ius, quo & ipso singulæ res vobis adquiruntur: item fideicommissorum, vbi singulæ res vobis relinquuntur: opportunius inferiore loco referemus. Videamus itaque nunc, quibus modis per vniuersitatem res vobis adquirantur. Si cui ergo heredes facti sitis, siue cuius bonorū possessionem petieritis, vel si quem adrogaueritis, vel si cuius bona libertatum conseruandarum causa vobis addicta fuerint, eius res omnes ad vos transeunt. Ac prius de hereditatibus dispiciamus, quarum duplex condition est. nam vel ex testamento, vel ab intestato ad vos pertinent. Et prius est, vt de his dispiciamus, quæ ex testamento vobis obueniunt. qua in re necessarium est, initium de ordinandis testamentis exponere.

DE TESTAMENTIS ordinandis.

TIT. X.

TEstamentum ex eo appellatur, quod testatio mentis sit.

1 ¶ Sed vt nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum est, olim quidem duo genera testamentorum in vsu fuisse: quorum altero in pace & otio vtebantur, quod calatis comitiis appellabant: altero, cum in prælium exituri essent, quod procinctum dicebatur. Accessit deinde tertium genus testamentorum, quod dicebatur per æs & libram: scilicet quod per emancipationem, id est, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque testibus, & libripende, ciuibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur. Sed illa quidem priora duo genera testamentorum ex veteribus temporibus in desuetudinem abierunt. quod vero per æs & libram fiebat, licet diutius permanserit, attamen partim & hoc in vsu esse desiit.

2 ¶ Sed prædicta quidem nomina testamentorum ad ius ciuile referebantur, postea vero ex edicto prætoris forma alia faciendorum testamentorum introducta est. Iure enim honorario nulla emancipatio desiderabatur: sed septem testium signa sufficiebant, cum iure ciuili signa testium non essent necessaria.

3 ¶ Sed cum paulatim tam ex vsu hominum, quam ex constitutionum emendationibus cœpit in vnam consonantiam ius ciuile & prætorium iungi: constitutum est, vt vno eodemque tempore (quod ius ciuile quodammodo exigebat) septem testibus adhibitis, & subscriptione testium (quod ex constitutionibus inuentum est, & ex edicto prætoris) signacula testamentis imponerentur: ita, vt hoc ius tripertitum esse videatur: & testes quidem & eorum præsen-

tia vno contextu testamenti celebrãdi gratia, à iure ciuili descendant: subscriptiones autem testatoris & testium, ex sacrarum constitutionum obseruatione adhibeantur; signacula autem, & testium numerus, ex edicto prætoris.

4 ¶ Sed his omnibus à nostra constitutione propter testamentorum sinceritatem, vt nulla fraus adhibeatur, hoc additum est: vt per manus testatoris vel testium nomen heredis exprimatur, & omnia secundum illius constitutionis tenorẽ procedãt.

5 ¶ Possunt autem omnes testes & vno anulo signare testamentum. quid enim si septem anuli vna sculpturâ fuerint, secundum quod Papiniano visum est? Sed & alieno quoque anulo licet signare[testamentũ.]

6 ¶ Testes autem adhiberi possunt ij, cum quibus testamenti factio est. Sed neque mulier, neque impubes, neque seruus, neque furiosus, neque mutus, neque surdus, neque is, cui bonis interdictum est, neque ij quos leges iubent improbos intestabilesque esse: possunt in numerum testium adhiberi.

7 ¶ Sed cum aliquis ex testibus testamenti quidem faciendi tempore liber existimabatur, postea autem seruus apparuit: tam diuus Hadrianus Catoni, quam postea diui Seuerus & Antoninus restripserunt, subuenire se ex sua liberalitate testamento: vt sic habeatur [firmum]ac si, vt oportebat, factum esset: cum eo tempore quo testamentum signaretur, omnium consensu hic testis liberi loco fuerit: neque quisquam esset, qui status ei quæstionem moueret.

8 ¶ Pater, nec non is, qui in potestate eius est, item duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, vtique testes in vno testamento fieri possunt: quia nihil nocet, ex vna domo plures testes alieno negotio adhiberi.

9 ¶ In testibus autem non debet esse is, qui

qui in potestate testatoris est. Sed si filius-familias de castrensi peculio post missionem faciat testamentum, nec pater eius recte adhibetur testis, nec is, qui in potestate eiusdem patris est. reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium.

10 ¶ Sed neque heres scriptus, neque is, qui in potestate eius est, neque pater eius qui eum habet in potestate, neque fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt: quia hoc totum negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur hodie inter testatorem & heredem agi. Licet autem totum ius tale conturbatum fuerat, & veteres quidem familiæ emptorem, & eos qui per potestatem ei cõiuncti fuerant, à testamentariis testimoniis repellebant: heredi [autem,] & iis, qui per potestatem ei coniuncti fuerant, concedebant, testimonia in testamentis præstare: licèt ij, qui id permittebant, hoc iure minime abuti eos debere suadebant: tamen nos eandem obseruationem corrigentes, & quod ab illis suasum est, in legis necessitatem transferentes, ad imitationem pristini familiæ emptoris, merito nec heredi, (qui imaginem vetustissimi familiæ emptoris obtinet) neque aliis personis, quæ ei (vt dictum est) coniunctæ sunt, licentiam concedimus, sibi quodammodo testimonia præstare. ideóque nec eiusmodi veteres constitutiones nostro Codici inseri permisimus.

11 ¶ Legatariis autem & fideicommissariis, quia non iuris successores sunt, & aliis personis eis coniunctis testimonium non denegamus: immo in quadam nostra constitutione & hoc specialiter eis concessimus. Et multo magis iis, qui in eorum potestate sunt, vel qui eos habent in potestate, huiusmodi licentiam damus.

12 ¶ Nihil autem interest, testamentum in tabulis, an in chartis membranisve, vel in

alia materia fiat.

13 ¶ Sed & vnum testamentum pluribus codicibus conficere quis potest, secundum obtinentem tamen obseruationem omnibus factis. quod interdum etiam necessarium est: veluti si quis nauigaturus & secum ferre, & [domi] relinquere iudiciorum suorum contestationem velit, vel propter alias innumerabiles causas, quæ humanis necessitatibus imminent.

14 ¶ Sed hæc quidem de testamentis, quæ scriptis conficiuntur, [sufficiunt]. si quis autem sine scriptis voluerit ordinare iure ciuili testamentum: septem testibus adhibitis, & sua voluntate coram eis nuncupata, sciat hoc perfectissimum testamentum iure ciuili, firmumque constitutum.

DE MILITARI TESTAMENTO. TIT. XI.

SVpra dicta diligens obseruatio in ordinandis testamentis, militibus, propter nimiam imperitiam eorum, constitutionibus [principalibus] remissa est. Nã quamuis ij neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque aliam testamentorum solemnitatem obseruauerint: recte nihilominus testantur, videlicet cum in expeditionibus occupati sunt: quod merito nostra constitutio introduxit. Quoquo enim modo voluntas eius suprema inueniatur, siue scripta siue sine scriptura: valet testamentum ex voluntate eius. Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in aliis locis vel suis ædibus degunt: minimè ad vendicandum tale priuilegium adiuuãtur. sed testari quidem, etsi filiifamiliarum sint, propter militiam conceduntur: iure tamen communi eadem obseruatione & in eorum testamentis adhibenda, quam in testamentis paganorum proxime exposuimus.

1 ¶ Plane de testamentis militum diuus

Tra

Traianus Catilio Seuero ita rescripsit: Id priuilegium, quod militantibus datum est, vt quoquo modo facta ab his testamenta rata sint: sic intelligi debet, vt vtique prius constare debeat testamentum factum esse, quod & sine scriptura & à non militantibus fieri potest. Si ergo miles, de cuius bonis apud te quæritur, conuocatis ad hoc hominibus, vt voluntatem suam testaretur, ita locutus est, vt declararet, quem vellet sibi heredem esse, & cui libertatem tribueret: potest videri sine scripto hoc modo esse testatus, & voluntas eius rata habenda est. Cæterum si (vt plerunque sermonibus fieri solet) dixit alicui, *ego te heredem facio*, aut *bona mea tibi relinquo*: non oportet hoc pro testamento obseruari. Nec vllorum magis interest, quam ipsorum, quibus id priuilegium datum est, eiusmodi exemplum non admitti. Alioqui non difficulter post mortem alicuius militis testes existerent, qui adfirmarent se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona, cui visum sit, & per hoc vera iudicia subuerterentur.

2 ¶ Quinimo & mutus & surdus miles testamentum facere potest.

3 ¶ Sed hactenus hoc illis à principalibus constitutionibus conceditur, quatenus militant, & in castris degunt. Post missionem vero veterani, vel extra castra [alij], si faciant adhuc militantes testamentum, communi omnium ciuium Romanorum iure id facere debent. Et quod in castris fecerint testamentum: non communi iure, sed quomodo voluerint: post missionem intra annum tantum valebit. Quid ergo si intra annum quis decesserit, conditio autem heredi adscripta post annum extiterit? an quasi militis testamentum valeat? Et placet valere quasi militis.

4 ¶ Sed & si quis ante militiam non iure fecit testamentum, & miles factus, & in expeditione

peditione degens resignauit illud, & quedam adiecit siue detraxit; vel alias manifesta est militis voluntas hoc valere volentis: dicendum est valere hoc testamentum, quasi ex noua militis voluntate.

5 ¶ Denique & si in adrogationem datus fuerit miles, vel filiusfamilias emancipatus est, testamentum eius quasi ex noua militis voluntate valet, nec videtur capitis deminutione irritum fieri.

6 ¶ Sciendum tamen est, quod cum ad exemplum castrensis peculij, tam anteriores leges, quam principales constitutiones quibusdam quasi castrensia dederant peculia, & horum quibusdam permissum fuerat etiam in potestate degentibus testari: nostra [id] constitutio latius extendens, permiserit omnibus in huiusmodi peculijs testari quidem, sed iure communi. Cuius constitutionis tenore perspecto; licentia est, nihil eorum, quæ ad præfatum ius pertinent, ignorare.

QVIBVS NON EST PERMISSUM facere testamentum.

TIT. XII.

NOn tamen omnibus licet facere testamentum. Statim enim ij, qui alieno iuri subiecti sunt, testamenti faciendi ius non habent: adeo quidem, vt quamuis parentes eis permiserint, nihilo magis iure testari possint: exceptis iis, quos antea enumerauimus, & præcipue militibus qui in potestate parentum sunt, quibus de eo, quod in castris adquisierunt, permissum est ex constitutionibus principum testamentum facere. Quod quidem ius ab initio tantum militantibus datum est, tam ex auctoritate diui Augusti, quam Neruæ, nec non optimi Imperatoris Traiani: postea vero subscriptione diui Hadriani; etiam dimissis à militia, id est, veteranis concessum est. Itaque si quidem fecerint de castrensi peculio testa

testamentum: pertinebit hoc ad eum, quem heredem reliquerunt. si vero intestati decesserint, nullis liberis vel fratribus superstitibus: ad parentes eorum iure communi pertinebit. Ex hoc intelligere possumus, quod in castris adquisierit miles, qui in potestate patris est, neque ipsum patrem adimere posse, neque patris creditores id vendere, vel aliter inquietare, neq; patre mortuo cum fratribus commune esse: sed scilicet proprium eius esse, qui id in castris adquisierit: quanquam iure ciuili omnium, qui in potestate parentum sunt, peculia perinde in bonis parentum computentur, ac seruorum pecalia in bonis dominorum numerantur: exceptis videlicet iis, quæ ex sacris constitutionibus & præcipue nostris propter diuersas causas non adquiruntur. præter hos igitur, qui castrense peculium vel quasi castrense habent, si quis alius filiusfamilias testamentum fecerit, inutile est, licet suæ potestatis factus decesserit.

1 ¶ Præterea testamentum facere non possunt impuberes: quia nullum eorum animi iudicium est. Item furiosi: quia mente carent. Nec ad rem pertinet, si impubes, postea pubes: aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, iure testati esse videntur, certe eo, quod ante furorem fecerint testamento valente. Nam neque testamentum recte factum, neque vllum aliud negotium recte gestum, postea furor interueniens perimit.

2 ¶ Item prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest, sed id, quod ante fecerit quam interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est.

3 ¶ Item surdus & mutus non semper testamentum facere possunt. Vtique autem de

eo

eo surdo loquimur, qui omnino non exaudit, non qui tarde exaudit. nam & mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tarde loquitur. Sæpe enim etiam litterati & eruditi homines variis casibus & audiendi & loquendi facultatem amittūt. Vnde nostra constitutio etiam his subuenit, vt certis casibus & modis secundum normam eius possint testari, aliaque facere, quæ eis permissa sunt. Sed si quis post testamentum factum aduersa valetudine, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit, ratum nihilominus manet eius testamentum.

4 ¶ Cæcus autem non potest facere testamentum, nisi per obseruationem, quam lex diui Iustiniani patris nostri introduxit.

5 ¶ Eius, qui apud hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non valet, quamuis redierit. sed quod, dum in ciuitate fuerat, fecit: siue redierit, valet iure postliminij: siue illic decesserit, valet ex lege Cornelia.

DE EXHEREDATIONE liberorum.

TIT. XIII.

NOn tamen vt omnino valeat testamentum, sufficit hæc obseruatio, quam supra exposuimus: sed qui filium in potestate habet, curare debet, vt eum heredem instituat, vel exheredem eum nominatim faciat: alioqui si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur: adeo quidem, vt si viuo patre, filius mortuus sit, nemo heres ex eo testamento existere possit, quia scilicet ab initio non constiterit testamentum. Sed non ita de filiabus, & aliis per virilem sexum descendentibus liberis vtriusque sexus antiquitati fuerat obseruatum: sed si non fuerant scripti heredes scriptæve, vel exheredati exheredatæve: testamentum quidem non infirmabatur, ius tamen adcrescendi eis

eis ad certam portionem præstabatur. sed nec nominatim eas personas exheredare parentibus necesse erat, sed licebat inter cæteros hoc facere. Nominatim autem quis exheredari videtur, siue ita exheredetur, *Titius filius meus exheres esto:* siue ita, *filius meus exheres esto*, non adiecto proprio nomine, scilicet si alius filius non extet.

1 ¶ Posthumi quoque liberi, vel heredes instituti debent, vel exheredari. Et in eo par omnium conditio est, quod & filio posthumo, & quolibet ex cæteris liberis, siue fœminini sexus, siue masculini præterito: valet quidem testamentum, sed postea adgnatione posthumi siue posthumæ rumpitur, & ea ratione totum infirmatur. Ideoque si mulier, ex qua posthumus aut posthuma sperabatur, abortum fecerit: nihil impedimento est scriptis heredibus ad hereditatem adeundam. Sed fœminini quidem sexus personæ vel nominatim, vel inter cæteros exheredari solebant: dum tamen, si inter cæteros exheredarentur, aliquid eis legaretur, ne viderentur præteritæ esse per obliuionem. Masculos vero posthumos, id est, filios, & deinceps, placuit non aliter recte exheredari, nisi nominatim exheredarentur: hoc scilicet modo, *quicunque mihi filius genitus fuerit, exheres esto.*

2 ¶ Posthumorum autem loco sunt & hi, qui in sui heredis locum succedendo, quasi adgnascendo fiunt parentum sui heredes: vt ecce, si quis filium, & ex eo nepotem neptemve in potestate habeat: quia filius gradu præcedit, is solus iura sui heredis habet, quamuis nepos quoque & neptis ex eo in eadem potestate sint. Sed si filius eius viuo eo moriatur, aut qualibet alia ratione exeat de potestate eius: incipit nepos neptisve in eius locum succedere, & eo modo iura suorum heredum quasi adgnatione nanciscuntur. Ne ergo eo modo rumpatur eius testa-

men-

mentum: sicut ipsum filium vel heredem instituere, vel nominatim exheredare debet testator, ne non iure faciat testamentum: ita & nepotem neptemve ex filio necesse est ei vel heredem instituere, vel exheredare: ne forte eo vivo filio mortuo, succedendo in locum eius nepos neptisve, quasi agnatione rumpat testamentum. Idque lege Iulia Vellea prouisum est, in qua similis exheredationis modus ad similitudinem posthumorum demonstratur.

3 ¶ Emancipatos liberos iure ciuili neque heredes instituere, neq; exheredare necesse est: quia non sunt sui heredes. Sed prætor omnes, tam fœminini sexus, quam masculini, si heredes non instituantur, exheredari iubet: virilis sexus nominatim: fœminini vero inter cæteros: quia si neque heredes instituti fuerint, neque ita (vt diximus) exheredati, permittit eis prætor contra tabulas testamenti bonorum possessionem.

4 ¶ Adoptiui liberi, quamdiu sunt in potestate patris adoptiui, eiusdem iuris habentur, cuius sunt iustis nuptiis quæsiti. itaque heredes instituendi, vel exheredandi sunt secundum ea, quæ de naturalibus exposuimus. Emancipati vero à patre adoptiuo, neque iure ciuili, neque [eo iure,] quod ad edictum prætoris attinet, inter liberos connumerantur. Qua ratione accidit, vt ex diuerso (quod ad naturalem parentem attinet) quamdiu quidem sunt in adoptiua familia, extraneorum numero habeantur: vt eos neque heredes instituere, neque exheredare necesse sit. cum vero emancipati fuerint ab adoptiuo patre: tunc incipiant in ea causa esse, in qua futuri essent, si à naturali patre emancipati fuissent.

5 ¶ Sed hæc quidem vetustas introducebat. nostra vero constitutio inter masculos & fœminas in hoc iure nihil interesse existimans

stimans: quia vtraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur, & lege antiqua [duodecim tabularum] omnes similiter ad successionē ab intestato vocabantur, quod & prætores postea secuti esse videntur: ideo simplex ac simile ius, & in filiis, & in filiabus, & in cæteris descendentibus per virilem sexum personis, non solum iam natis, sed etiam posthumis, introduxit: vt omnes siue sui, siue emancipati sint, vel heredes instituantur, vel nominatim exheredentur: & eundem habeant effectum circa testamenta parentum suorum infirmanda, & hereditatem auferendam, quem filij sui vel emancipati habent, siue iam nati sint, siue adhuc in vtero constituti, postea nati sint. Circa adoptiuos autem [filios] certam induximus diuisionem, quæ in nostra constitutione, quam super adoptiuis tulimus, continetur.

6 ¶ Sed si in expeditione occupatus miles testamentum faciat, & liberos suos iam natos, vel posthumos nominatim non exheredauerit, sed [silentio] prætercrit, non ignorans, an habeat liberos: silentium eius pro exheredatione nominatim facta valere, constitutionibus principum cautum est.

7 ¶ Mater, vel auus maternus, necesse non habent liberos suos, aut heredes instituere, aut exheredare: sed possunt eos silentio omittere. nam silentium matris, aut aui materni, & cæterorum per matrem descendentium tantum facit, quantum exheredatio patris. Neque enim matri filium filiamve, neque auo materno nepotem neptemve ex filia, si eum eamve heredem non instituat, exheredare necesse est: siue de iure ciuili quæramus, siue de edicto prætoris, quo [prætor] præteritis liberis contra tabulas bonorum possessionem permittit: sed aliud eis adminiculum seruatur, quod paulo post vobis manifestum fiet.

DE HEREDIBVS INSTITUENDIS.

TIT. XIV.

HEredes instituere permissum est tam liberos homines, quam seruos: & tam proprios quam alienos. Proprios autem olim quidem secundum plurium sententias non aliter, quam cum libertate, recte instituere licebat: hodie vero etiam sine libertate, ex nostra constitutione heredes eos instituere permissum est. Quod non per innouationem induximus, sed quoniam quius erat, & Atilicino placuisse Paulus suis libris, quos tam ad Masurium Sabinum, quã ad Plautium scripsit, refert. Proprius autem seruus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio vsufructum habente. Est tamen casus, in quo nec cum libertate vtiliter seruus à domino heres instituitur, vt constitutione diuorum Seueri & Antonini cauetur, cuius verba hæc sunt: Seruum adulterio maculatum, non iure testamento manumissum ante sententiam ab ea muliere videri, quę rea fuerat eiusdem criminis postulata, rationis est. Quare sequitur, vt in eundem à domina collata heredis institutio, nullius momenti habeatur. alienus seruus etiam is intelligitur, in quo vsumfructum testator habet.

1 ¶ Seruus autem à domino suo heres institutus, siquidem in eadem causa manserit: fit ex testamento liber, heresque ei necessarius. Si vero à viro testatore manumissus fuerit, suo arbitrio adire hereditatem potest: quia non fit heres necessarius, cum vtrumque ex domini testamento non consequatur. Quod si alienatus fuerit: iussu noui domini adire hereditatem debet, & ea ratione per eum dominus fit heres. nam ipse alienatus, neque liber neque heres esse potest, etiamsi cum libertate heres institutus fuerit. destitisse enim à libertatis datione videtur

detur dominus, qui eum alienauit. Alienus quoque seruus heres institutus, si in eadem causa durauerit, iussu eius domini adire hereditatem debet. Si vero alienatus fuerit ab eo, aut viuo testatore, aut post mortem eius, antequam adeat, debet iussu noui domini adire. At si manumissus est viuo testatore, vel mortuo, antequam adeat, suo arbitrio adire potest hereditatem.

2 ¶ Seruus etiã alienus post domini mortem recte heres instituitur: quia & cum hereditariis seruis est testamenti factio. Nondum enim adita hereditas, personæ vicem sustinet, non heredis futuri, sed defunctiscũ etiam eius, qui in vtero est, seruus recte heres instituatur.

3 ¶ Seruus[autem] plurium, cum quibus testamenti factio est, ab extraneo instituitus heres, vnicuique dominorum, cuius iussu adierit, pro portione domini adquirit hereditatem.

4 ¶ Et vnum hominem, & plures vsque in infinitum, quod quis heredes velit facere, licet.

5 ¶ Hereditas plerumque diuiditur in duodecim vncias, quæ assis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab vncia vsque ad assem hæc: sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx. Non autem vtique [semper] duodecim vncias esse oportet. nam tot vnciæ assem efficiunt, quot testator voluerit. & si vnum tantum quis ex semisse (verbi gratia) heredem scripserit, totus as in semisse erit: neq; enim idem ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere potest: nisi sit miles, cuius sola voluntas in testando spectatur. Et è contrario potest quis in quotcunque voluerit plurimas vncias suam hereditatem diuidere.

6 ¶ Si plures instituantur heredes: ita

demum in hoc casu partium distributio necessaria est, si nolit testator eos ex æquis partibus heredes esse. satis enim cōstat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus eos heredes esse. Partibus autem in quorundam personis expressis, si quis alius sine parte nominatus erit: si quidem aliqua pars assi deerit: ex ea parte heres fit. Et si plures sine parte scripti sunt, omnes in eādem partem concurrunt. Si vero totus as completus sit: ij, qui nominatim expressas partes habēt, in dimidiam partem vocantur: & ille vel illi omnes in alteram dimidiam. Nec interest, primus, an medius, an nouissimus, sine parte heres scriptus sit. ea enim pars data intelligitur quæ vacat.

7 ¶ Videamus si pars aliqua vacet, nec tamen quisquam sine parte sit heres institutus, quid iuris sit, veluti si tres ex quartis partibus heredes scripti sunt. Et constat vacantem partem singulis tacite pro hereditaria parte accedere, & perinde haberi, ac si ex tertiis partibus heredes scripti essent. & ex diuerso, si plures heredes scripti in portionibus sint: tacite singulis decrescere: vt si (verbi gratia) quatuor ex tertiis partibus heredes scripti sint, perinde habeantur, ac si vnusquisque ex quarta parte heres scriptus fuisset.

8 ¶ Et si plures vnciæ, quam duodecim distributæ sint: is, qui sine parte institutus est, quod dupondio deest, habebit. Idemque erit, si dupondius expletus sit. quæ omnes partes ad assem postea reuocantur, quamuis sint plurium vnciarum.

9 ¶ Heres & pure & sub conditione institui potest: ex certo tempore, aut ad certum tempus non potest: veluti, *post quinquennium quam moriar*, vel *ex calendis illis*, vel *vsque ad calendas illas heres esto*. Denique diem adiectum haberi pro superuacuo placet: & perinde esse, ac si pure heres institutus esset.

10 ¶ Im

10 ¶ Impossibilis conditio in institutionibus & legatis, necnon in fideicommissis & libertatibus, pro non scripta habetur.

11 ¶ Si plures conditiones in institutionibus ad scripte sunt: siquidem cóiunctim, vt puta *si illud & illud factum fuerit*: omnibus parendum est. si separatim, veluti *si illud aut illud factum erit*: cuilibet [conditioni] obtemperare satis est.

12 ¶ Ii, quos nunquam testator vidit, heredes instituì possunt. veluti si fratris filios peregrinantes, ignorans qui essent, heredes instituerit. ignorantia enim testantis inutilem institutionem non facit.

DE VVLGARI SVBSTITVTIONE. TIT. XV.

POtest autem quis in testamento suo plures gradus heredum facere: vt puta, *Si ille heres non erit, ille heres esto*: & deinceps, in quantum velit testator: vt nouissimo loco in subsidium vel seruum necessarium heredem instituere [possit.]

1 ¶ Et plures in vnius locum possunt substitui, vel vnus in plurium, vel singuli in singulorum, vel inuicem ipsi, qui heredes instituti sunt.

2 ¶ Et si ex disparibus partibus heredes scriptos inuicem substituerit, & nullam mentionem in substitutione partium habuerit: eas videtur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit: & ita diuus Pius rescripsit.

3 ¶ Sed si instituto heredi, coherede substituto dato, alius ei substitutus fuerit: diui Seuerus & Antoninus sine distinctione rescripserunt, ad vtramque partem substitutum admitti.

4 ¶ Si seruum alienum quis patremfamilias arbitratus, heredem scripserit: & si heres non esset, Mæuium ei substituerit: isque seruus tussu domini adierit hereditatem [Mæuius] substitutus, in partem admittitur.

Illa enim verba, *si heres non erit*, in eo quidem, quem alieno iuri subiectum esse testator scit, sic accipiuntur: si neque ipse heres erit, neque alium heredem effecerit in eo vero, quem patremfamilias esse arbitratur, illud significant: si hereditatem sibi, vel ei, cuius iuri postea subiectus esse cœperit, non adquisierit. Idque Tiberius Cæsar in persona Parthenij serui sui constituit.

DE PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

TITVLVS XVI.

LIberis suis impuberibus, quos in potestate quis habet, non solum ita, vt supra diximus, substituere potest: id est, vt si heredes ei non exstiterint, alius sit ei heres: sed eo amplius vt si heredes ei exstiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, sit eis aliquis heres: veluti si quis dicat hoc modo, *Titius filius meus heres mihi esto. Et si filius meus heres mihi non erit, siue heres erit, & prius moriatur, quam in suam tutelam venerit; tunc Seius heres esto.* quo casu, si quidem nó extiterit heres filius: tunc substitutus patri sit heres: si vero exstiterit heres filius, & ante pubertatem decesserit: ipsi filio sit heres substitutus. nam moribus institutum est, vt quum eius ætatis filij sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt: parentes eis faciant.

1 ¶ Qua ratione excitati, etiam constitutionẽ posuimus in nostro Codice, qua prospectum est, vt si qui mente captos habeant, filios, vel nepotes, vel pronepotes, cuiuscunque sexus vel gradus: liceat eis, & si puberes sint, ad exemplum pupillaris substitutionis, certas personas substituere. sin autem resipuerint, eandem substitutionem infirmari. & ad hoc exemplum pupillaris substitutionis, quę postquam pupillus adoleuerit, infirmatur.

2 ¶ Igitur in pupillari substitutione se-

cum

cundum præfatum modum ordinata, duo quodammodo sunt testamenta: alterum patris, alterum filij, tanquam si ipse filius sibi heredem instituisset: aut certe vnum testamentum est duarum causarum, id est, duarum hereditatum.

3 ¶ Sin autem quis ita formidolosus sit, vt timeat, ne filius suus pupillus adhuc, ex eo, quod palam substitutum acceperit, post obitum eius periculo insidiarum subiaceat: vulgarem quidem substitutionem palam facere, & in primis testamenti partibus [ordinare] debet: illam autem substitutionem per quam si heres exstiterit pupillus, & intra pubertatem decesserit, substitutus vocatur: seperatim in inferioribus partibus scribere, eamque partem proprio lino, propriaque cera consignare: & in priore parte testamenti cauere, ne inferiores tabulæ viuo filio & adhuc impubere aperiantur. Illud palam est, non ideo minus valere substitutionem impuberis filij, quod in eisdem tabulis scripta sit, quibus sibi quisque heredem instituisset, quamuis pupillo hoc periculosum sit.

4 ¶ Non solum autem heredibus institutis impuberibus liberis ita substituere parentes possunt, vt si heredes eis exstiterint, & ante pubertatem mortui fuerint, sit eis heres is, quem ipsi voluerint: sed etiam exheredatis. Itaque eo casu si quid [exheredato] pupillo ex hereditatibus, legatiue, aut donationibus propinquorum atque amicorum adquisitum fuerit: id omne ad substitutum pertinebit. Quæcunque diximus de substitutione impuberum liberorum, vel heredum institutorum, vel exheredatorum: eadem etiam de posthumis intelligimus.

5 ¶ Liberis autem suis testamentum nemo facere potest, nisi & sibi faciat. nam pupillare testamentum, pars & sequela est pa-

terni testamenti: adeo, vt si patris testamentum non valeat, nec filij quidem valebit.

6 ¶ Vel singulis liberis, vel ei, qui eorum nouissimus impubes morietur, substitui potest. singulis quidem, si neminem eorum intestatum decedere voluerit: nouissimo, si ius legitimarum hereditatum integrum inter eos custodiri velit.

7 ¶ Substituitur autem impuberi aut nominatim, veluti *Titius*: aut generaliter, vt *quisquis mihi heres erit*. Quibus verbis vocantur ex substitutione, impubere mortuo filio, illi, qui & scripti sunt heredes, & exstiterunt, & pro qua parte heredes facti sunt.

8 ¶ Masculo igitur vsque ad quatuordecim annos substitui potest: fœminæ vsque ad duodecim annos: & si hoc tempus excesserint, substitutio euanescit.

9 ¶ Extraneo vero, vel filio puberi heredi instituto, ita substituere nemo potest, vt si heres exstiterit, & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit heres: sed hoc solum permissum est, vt eum per fideicommissum testator obliget alij hereditatem eius, vel totam, vel pro parte restituere. quod ius quale sit, suo loco trademus.

QVIBVS MODIS TESTAMENTA infirmentur.

TIT. XVII.

TEstamentum iure factum vsque eo valet, donec rumpatur, irritumve fiat.

1 ¶ Rumpitur autem testamentum, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamẽti ius vitiatur. Si quis enim post factum testamentum adoptauerit sibi filium per Imperatorem, eum, qui est sui iuris: aut per prætorem secundum nostram constitutionem, eum, qui in potestate parẽtis fuerit: testamentum eius rumpitur, quasi adgnatione sui heredis.

2 ¶ Posteriore quoque testamento quod iure perfectum est, superius rumpitur. nec in

interest, exstiterit aliquis heres ex eo, an nó. hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit. Ideoq; si quis aut noluerit heres esse, aut viuo testatore, aut post mortem eius ante quam hereditatem adiret, decesserit: aut conditione, sub qua heres institutus est, defectus sit: in his casibus paterfamilias intestatus moritur. Nam & prius testamentum non valet ruptum a posteriore: & posterius æque nullas habet vires, cum ex eo nemo heres exstiterit.

3 ¶ Sed & si quis priore testamento iure perfecto, posterius æque iure fecerit: etiam si ex certis rebus in eo heredem instituerit: superius tamen testamentum sublatum esse, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. cuius constitutionis verba [& hic] inseri iussimus, quum aliud quoque præterea in ea constitutione expressum sit. Imperatores Seuerus & Antoninus Cocceio Campano. Testamentum secundo loco factum, licet in eo certarum rerum heres scriptus sit, perinde iure valere, ac si rerum mentio facta non esset: sed & teneri heredem scriptum, vt contentus rebus sibi datis, aut suppleta quarta ex lege Falcidia, hereditatem restituat his, qui in priore testamento scripti fuerant, propter inserta fideicommissi verba, quibus, vt valeret prius testamẽtum, expressum est: dubitari non oportet. Et ruptum quidem testamentum hoc modo efficitur.

4 ¶ Alio autem modo testamenta iure facta infirmantur: veluti cum is, qui fecit testamentum, capite deminutus sit. quod quibus modis accidat, primo libro retulimus.

5 ¶ Hoc autem casu irrita fieri testamenta dicuntur: quum alioqui & quæ rumpuntur, irrita fiant: & ea, quæ statim ab initio non iure fiunt, irrita sint. sed & ea, quæ iure facta sunt, & postea per capitis deminutionem irrita fiunt, possumus nihilominus rupta dicere. Sed quia sane commodius erat

singulas causas singulis appellationibus distinguni: ideo quædam non iure facta dicuntur, quædam iure facta rumpi, vel irrita fieri.

6 ¶ Non tamen per omnia inutilia sunt ea testamenta, quæ ab initio iure facta, per capitis deminutionem irrita facta sunt. nam si septem testium signis signata sunt: potest scriptus heres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere. si modo defunctus, & ciuis Romanus, & suæ potestatis mortis tempore fuerit. Nam si ideo irritum factum sit testamentum, quia ciuitatem, vel etiam libertatem testator amisit, aut quia in adoptionem se dedit, & mortis tempore in adoptiui patris potestate sit: non potest scriptus heres secundum tabulas bonorum possessionem petere.

7 ¶ Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere: vsque adeo, vt & si quis post factum prius testamentum posterius facere cœperit: & aut mortalitate præuentus, aut quia eum eius rei pœnituit, id non perfecerit: diui Pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulæ priores iure factæ irritæ fiant, nisi sequentes iure ordinatæ & perfectæ fuerint. nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est.

8 ¶ Eadem oratione expressit, non admissurum se hereditatem eius, qui litis causa principem reliquerit heredem: neque tabulas non legitime factas, in quibus ipse ob eam causam heres institutus erat, probaturum: neque ex nuda voce heredis nomen admissurum: neque ex vlla scriptura, cui iuris auctoritas desit, aliquid adepturum. Secundum hoc diui Seuerus & Antoninus sæpissime rescripserunt. Licet enim (inquiunt) legibus soluti simus, attamen legibus viuimus.

DE

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

TIT. XVIII.

QVia plerunque parentes sine causa liberos suos exheredant, vel omittunt: inductum est, vt de inofficioso testamento agere possint liberi, qui queruntur, aut inique se exheredatos, aut inique præteritos: hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerint, cum testamentum ordinarent. Sed hoc dicitur, non quasi vere furiosus sit, sed recte quidem fecerit testamentum, non autem ex officio pietatis. Nam si vere furiosus sit, nullum testamentum est.

1 ¶ Non autem liberis tantum permissum est testamentum parentum inofficiosum accusare, verum etiam liberorum parentibus. Soror autem & frater, turpibus personis scriptis heredibus, ex sacris constitutionibus prælati sunt. Non ergo contra omnes heredes agere possunt. Vltra fratres igitur & sorores cognati nullo modo aut agere possunt, aut agentes vincere.

2 ¶ Tam autem naturales liberi, quam secundum nostræ constitutionis diuisionem adoptati, ita demum de inofficioso testamento agere possunt, si nullo alio iure ad defuncti bona venire possint. Nam qui ad hereditatem totam vel partem eius alio iure veniunt, de inofficioso agere non possunt. Posthumi quoque, qui nullo alio iure venire possunt, de inofficioso agere possunt.

3 ¶ Sed hæc ita accipienda sunt, si nihil eis penitus à testatoribus testamento relictum est. quod nostra constitutio ad verecundiam naturæ introduxit. Sin vero quantacunque pars hereditatis vel res eis fuerit relicta: de inofficioso querela quiescente, id, quod eis deest, vsque ad quartam legitimæ partis repleatur: licet non fuerit adiectum, boni viri arbitratu debere eam compleri.

4 ¶ Si tutor nomine pupilli, cuius tutelam gerebat,

gerebat, ex testamento patris sui legatum acceperit, cũ nihil erat ipsi tutori relictum à patre suo: nihilominus poterit nomine suo de inofficioso patris testamento agere.

5 ¶ Sed si è contrario pupilli nomine, cui nihil relictum fuerat, de inofficioso egerit, & superatus est: ipse [tutor,] quod sibi in testamento eodem legatum relictum est, non amittit.

6 ¶ Igitur quartam quis debet habere, vt de inofficioso agere non possit: siue iure hereditario, siue iure legati, vel fideicómissi, vel si mortis causa ei quarta donata fuerit, vel inter vinos: in iis tantummodo casibus: quorum mentionem facit nostra constitutio: vel aliis modis, qui [in nostris] constitutionibus continentur. Quod autem de quarta diximus, ita intelligẽdum est: vt siue vnus fuerit, siue plures, quibus agere de inofficioso testamento permittitur: vna quarta eis dari possit, vt ea pro rata eis distribuatur.

DE HEREDVM QVALITATE, & differentia.

TIT. XIX.

HEredes autem, aut necessarij dicuntur, aut sui & necessarij, aut extranei.

1 ¶ Necessarius heres, est seruus heres institutus. Ideoque sic appellatur, quia siue velit, siue nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius heres fit. Vnde qui facultates suas suspectas habent: solent seruum suum primo aut secundo, aut etiam vlteriore gradu heredem instituere: vt si creditoribus satis non fiat, potius eius heredis bona, quam ipsius testatoris à creditoribus possideãtur, vel distrahantur, vel inter eos diuidantur. Pro hoc tamen incommodo, illud ei commodum præstatur: vt ea, quæ post mortem patroni sui sibi adquisierit, ipsi reseruentur. Et quamuis bona defuncti non sufficiant creditoribus: [iterum] tamen ex ea causa res eius, quas si-

bi

bi adquisierit, non veneunt.

2 ¶ Sui autem & necessarij heredes sunt, veluti filius, filia, nepos neptisve ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui in potestate morientis modo fuerint. Sed vt nepos, neptisve sui heredes sint, non sufficit eum eamve in potestate aui mortis tempore fuisse: sed opus est, vt pater eius viuo patre suo desierit suus heres esse, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus à patris potestate: tunc enim nepos neptisve in locum patris sui succedit. Sed sui quidem heredes ideo appellantur, quia domestici heredes sunt, & viuo quoque patre quodammodo domini existimantur. Vnde etiam si quis intestatus moriatur: prima causa est in successione liberorum. Necessarij vero ideo dicuntur, quia omnino, siue velint, siue nolint, tam ab intestato, quam ex testamẽto [ex lege duodecim tabularum] heredes fiunt. Sed his prætor permittit volentibus abstinere hereditate: vt potius parentis, quam ipsorum bona similiter à creditoribus possideantur.

3 ¶ Cæteri, qui testatoris iuri subiecti non sunt, extranei heredes appellantur. Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, heredes à nobis instituti, extranei heredes nobis videntur. Qua de causa, & qui heredes à matre instituuntur, eodẽ numero sunt: quia fœminæ in potestate liberos non habent. Seruus quoque heres à domino institutus, & post testamentum factum ab eo manumissus, eodem numero habetur.

4 ¶ In extraneis heredibus illud obseruatur, vt sit cum eis testamenti factio: siue heredes ipsi instituantur, siue hi, qui in potestate eorum sunt. & id duobus temporibus inspicitur: testamenti quidem [facti] tempore, vt constiterit institutio: mortis vero testatoris, vt effectum habeat: hoc amplius, & cum adit hereditatem, esse debet cum eo testamenti factio, siue pure, siue sub conditione heres

insti

institutus sit. nam ius heredis eo maxime tempore inspiciendum est, quo adquirit hereditatem. Medio autem tempore inter factum testamentum, & mortem testatoris, vel conditionem institutionis existentem, mutatio iuris non nocet heredi: quia (vt diximus) tria tempora inspici debent. Testaméti autem factionem non solum is habere videtur, qui testamẽtum facere potest: sed etiam qui ex alieno testamento vel ipse capere potest, vel alij adquirere, licet non possit facere testamentũ. Et ideo furiosus & mutus, & posthumus, & infans, & filiusfamilias, & seruus alienus testamenti factionem habere dicuntur. Licet enim testamentum facere non possint, attamen ex testamento vel sibi, vel alij adquirere possunt.

5 ¶ Extraneis autem heredibus deliberãdi potestas est de adeunda hereditate, vel non adeunda. Sed siue is, cui abstinendi potestas est, immiscuerit se bonis hereditatis: siue extraneus, cui de adeunda hereditate deliberare licet, adierit: postea relinquendæ hereditatis facultatem non habet, nisi minor sit vigintiquinque annis. Nam huius ætatis hominibus, sicut in cæteris omnibus causis decepti: ita & si temere damnosam hereditatem susceperint, prætor succurrit. Sciendum est tamen diuum Hadrianum etiam maiori vigintiquinque annis veniam dedisse, cum post aditam hereditatẽ grande æs alienum, quod aditæ hereditatis tempore latebat, emersisset. Sed hoc quidem diuus Hadrianus cuidam speciali beneficio præstitit: diuus autem Gordianus postea militibus tantummodo hoc concesit.

6 ¶ Sed nostra beneuolentia commune omnibus subiectis Imperio nostro hoc beneficium præstitit: & constitutionẽ tam æquissimam, quam nobilissimam scripsit: cuius tenorem si obseruauerint homines, licet eis adire hereditatẽ, & in tantum teneri, quantum

tum valere bona hereditatis contingit: vt ex hac causa neque deliberationis auxilium sit eis necessarium, nisi omissa obseruatione nostræ constitutionis, & deliberandum existimauerint, & sese veteri grauamini additionis supponere maluerint.

7 ¶ Item extraneus heres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimam hereditatem vocatus, potest aut pro herede gerendo, aut etiam nuda voluntate suscipiendæ hereditatis heres fieri. Pro herede autem gerere quis videtur, si rebus hereditariis tanquam heres vtatur, vel vendendo res hereditarias, vel prædia colendo locandove, & quoquo modo voluntatem suam declaret, vel re, vel verbo de adeunda hereditate: dummodo sciat eum, in cuius bonis pro herede gerit, testatum intestatumve obiisse, & se ei heredé esse. Pro herede enim gerere, est pro domino gerere. veteres enim heredes pro dominis appellabant. Sicut autem nuda voluntate extraneus heres fit: ita contraria destinatione statim ab hereditate repellitur. Eum, qui surdus vel mutus natus, vel postea factus est, nihil prohibet pro herede gerere, & adquirere sibi hereditatem: sitamen intelligit, quod agit.

DE LEGATIS.

Tit. XX.

POst hæc videamus de legatis: quæ pars iuris extra propositã quidem materiam videtur. (nam loquimur de iis iuris figuris, quibus per vniuersitatem res nobis adquiruntur) sed cum omnino de testamentis, & de heredibus, qui in testamento instituuntur, loquuti simus: non sine causa sequẽti loco potest hæc iuris materia tractari.

1 ¶ Legatum itaque est donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda.

2 ¶ Sed olim quidem erant legatorũ genera quatuor, per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem: & certa

& certa quædam verba cuique generi legatorum adsignata erant, per quæ singula genera legatorum significabantur. Sed ex constitutionibus diuorum Principũ solennitas huiusmodi verborum penitus sublata est. Nostra autem constitutio, quam cum magna fecimus lucubratione, defunctorum voluntates validiores esse cupientes, & non verbis, sed voluntatibus eorum fauentes, disposuit; vt omnibus legatis vna sit natura, & quibuscunque verbis aliquid relictum sit, liceat legatariis id persequi, non solum per actiones personales, sed etiam per in rem, & per hypothecariam. Cuius constitutionis perpensum modum ex ipsius tenore perfectissime accipere possibile est.

3 ¶ Sed non vsque ad eam constitutionem standum esse existimauimus. Cum enim antiquitatem inuenimus legata quidem stricte concludentem, fideicommissis autem, quæ ex voluntate magis descendebant defunctorum, pinguiorem naturam indulgentem: necessarium esse duximus, omnia legata fideicommissis exæquare: vt nulla sit inter ea differentia: sed quod deest legatis, hoc repleatur ex natura fideicommissorum: & si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura. Sed ne in primis legũ cunabulis permistim de his exponendo, studiosis adolescentibus quandam introducamus difficultatem: operæpretium esse duximus, interim separatim prius de legatis: & postea de fideicommissis tractare, vt natura vtriusque iuris cognita, facile possint permistionem eorum eruditi subtilioribus auribus accipere.

4 ¶ Non solum autem testatoris vel heredis res, sed etiam aliena legari potest: ita, vt heres cogatur redimere eam, & præstare: vel si eam non potest redimere, æstimationem eius dare. Sed si talis sit res, cuius commercium non est, [vel adipisci non potest:] nec æstimatio

æstimatio eius debetur, veluti si campum Martium, vel basilicas, vel templa, vel quæ publico vsui destinata sunt, legauerit. nam nullius momenti [tale] legatum est. Quod autem diximus alienam rem posse legari: ita intelligendum est, si defunctus sciebat alienam rem esse, non si ignorabat. Forsitan enim si sciuisset alienam rem esse, non legasset: & ita diuus Pius rescripsit. Et verius est ipsum qui agit, id est, legatarium probare oportere, sciuisse alienam rem legare defunctum: non heredem probare oportere, ignorasse alienam: quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit.

5 ¶ Sed & si rem obligatam creditori aliquis legauerit, necesse habet heres [eam] luere. Et [in] hoc quoque casu idem placet, quod in re aliena: vt ita demum luere necesse habeat heres, si sciebat defunctus rem obligatam esse. & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Si tamen defunctus voluerit legatarium luere, & hoc expresserit: non debet heres eam luere.

6 ¶ Si res aliena legata fuerit: & eius rei vino testatore legatarius dominus factus fuerit: si quidem ex causa emptionis: ex testamento actione pretium consequi potest. Si vero ex causa lucrativa, veluti ex donatione, vel ex alia simili causa, agere non potest: nam traditum est duas lucrativas causas in eundum hominem & eandem rem concurrere non posse. Hac ratione, si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur: interest, vtrum rem, an æstimationē ex testamento consequutus sit. nam si rem habet, agere non potest, quia habet eam ex causa lucrativa. si æstimationē, agere potest.

7 ¶ Ea quoque res, quæ in rerum natura non est, si modo futura est, recte legatur: veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit.

8 ¶ Si eadem res duobus legata sit, siue

coniunctim, siue disiunctim: si ambo perueniãt ad legatũ, scinditur inter eos legatum: si alter deficiat (quia aut spreuerit legatum, aut viuo testatore decesserit, vel alio quoquo modo defecerit) totũ ad collegatarium pertinet. Coniunctim autem legatur, veluti si quis dicat, *Titio & Seio hominem Stichum do lego*, disiunctim ita, *Titio hominem Stichum do lego. Seio hominem Stichum do lego.* Sed & si expresserit eundem hominem Stichum, æque disiunctim legatum intelligitur.

9 ¶ Si cui fundus alienus legatus sit, & emerit proprietatem deducto vsufructu, & vsufructus ad eum peruenerit, & postea ex testamento agat: recte eum agere, & fundum petere, Iulianus ait: quia vsusfructus, in petitione, seruitutis locum obtinet. Sed officio iudicis continetur, vt deducto vsufructu, iubeat æstimationem præstari.

10 ¶ Sed si rem legatarij quis ei legauerit, inutile est legatum: quia quod proprium est ipsius, amplius eius fieri non potest: & licet alienauerit eam, non debetur nec ipsa res, nec æstimatio eius.

11 ¶ Si quis rem suam quasi alienam legauerit: valet legatum. nam plus valet quod in veritate est, quam quod in opinione. Sed & si legatarij esse putauit, valere constat: quia exitum voluntas defuncti habere potest.

12 ¶ Si rem suam legauerit testator, postea eam alienauerit: Celsus putat, si non adimendi animo vendidit, nihilominus deberi. Idemque diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Iidem rescripserunt eum, qui post testamentum factum prædia, quæ legata erant, pignori dedit, ademisse legatum non videri: & ideo legatarium cum herede [eius] agere posse, vt prædia à creditore luantur. Si vero quis partem rei legatæ alienauerit: pars, quæ non est alienata, omnino debetur: pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo alienata sit.

13 ¶ Si

13 ¶ Si quis debitori suo liberationem legauerit, legatum vtile est: & neque ab ipso debitore, neque ab herede eius potest heres petere: neque ab alio, qui heredis loco sit. Sed & potest à debitore conueniri, vt liberet eum. Potest etiam quis vel ad tempus iubere, ne heres petat.

14 ¶ Ex contrario, si debitor creditori suo quod debet legauerit: inutile est legatum, si nihil plus est in legato, quam in debito: quia nihil amplius per legatum habet. Quod si in diem, vel sub conditione debitum ei pure legauerit: vtile est legatum propter repræsentationem. Quod si viuo testatore dies venerit, vel cõditio extiterit: Papinianus scripsit, vtile esse nihilominus legatum: quia semel constitit. quod & verum est. Non enim placuit sententia existimantium, extinctum esse legatum, quia in eam causam peruenerit, à qua incipere non potest.

15 ¶ Sed si vxori maritus dotem legauerit, valet legatum: quia plenius est legatum, quam de dote actio. Sed si, quam non accepit dotem, legauerit: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, si quidem simpliciter legauerit, inutile esse legatum: si vero certa pecunia, vel certum corpus, aut instrumenta dotis in relegando demonstrata sunt, valere legatum.

16 ¶ Si res legata sine facto heredis perierit, legatario decedit. Et si seruus alienus legatus sine facto heredis manumissus fuerit, non tenetur heres. Si vero heredis seruus legatus sit, & ipse eum manumiserit: teneri ipsum Iulianus scripsit. nec interest, sciuerit, an ignorauerit à se legatum esse. Sed & si alij donauerit seruum, & is, cui donatus est, eum manumiserit: tenetur heres quamuis ignorauerit à se eum legatum esse.

17 ¶ Si quis ancillas cum suis natis legauerit, etiam si ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem est, & si ordinarij

ferui cum vicariis legati fuerint: quia licet mortui sint ordinarij, tamen vicarij legato cedunt. Sed si seruus fuerit cum peculio legatus: mortuo seruo, vel manumisso, vel alienato, peculij legatum extinguitur. Idem est, si fundus instructus, vel cum instrumento legatus fuerit. Nam fundo alienato, & instrumenti legatum extinguitur.

18 ¶ Si grex legatus fuerit, & postea ad vnũ quem peruenerit: quod superfuerit, vindicari potest. Grege autem legato, etiam eas oues, quę post testamentũ factum gregi adiiciuntur, legato cedere, Iulianus ait. Est autem gregis vnum corpus ex distantibus capitibus, sicut ædium vnum corpus est ex cohærentibus lapidibus.

19 ¶ Aedibus denique legatis, columnas & marmora, quę post testamentum factum adiecta sunt, legato [dicimus] cedere.

20 ¶ Si peculium legatum fuerit: sine dubio, quicquid peculio accedit, vel decedit viuo testatore, legatarij lucro vel damno est. Quod si post mortem testatoris ante aditam hereditatem [aliquid] seruus adquisierit: Iulianus ait, si quidem, ipsi manumisso peculium legatum fuerit: omne, quod ante aditam hereditatem adquisitum est, legatario cedere, quia huiusmodi legati dies ab adita hereditate cedit. Sed si extraneo peculium legatum fuerit: non cedere ea legato, nisi ex rebus peculiaribus auctum fuerit peculium. Peculium autem, nisi legatum fuerit, manumisso nõ debetur: quamuis si viuus manumiserit, sufficit, si non adimatur. & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Iidem rescripserunt, peculio legato, non videri id relictum, vt petitionem habeat pecuniæ, quam in rationes dominicas impenderit. Iidem rescripserunt, peculium videri legatum, cum rationibus redditis liber esse iussus est, & ex eo reliqua inferre.

21 ¶ Tam autem corporales res legari possunt,

possunt, quam incorporales: & ideo quod defuncto debetur, potest alicui legari, vt actiones suas heres legatario præstet: nisi exegerit viuus testator pecuniam. nam hoc casu legatũ extinguitur. Sed & tale legatum valet, *damnas esto heres meus domum illius reficere*, vel, *illum ære alieno liberare*.

22 ¶ Si generaliter seruus vel res alia legetur: electio legatarij est, nisi aliud testator dixerit.

23 ¶ Optionis legatum, [id est,] vbi testator ex seruis suis, vel aliis rebus optare legatarium iusserat, habebat olim in se conditionem: & ideo nisi ipse legatarius viuus optasset, ad heredem legatum non transmittebat: sed ex constitutione nostra & hoc in meliorem statum reformatum est: & data est licẽtia heredi legatarij optare [seruum,] licet viuus legatarius hoc non fecerit. Et diligentiore tractatu habito, & hoc in nostra constitutione additum est: siue plures legatarij extiterint, quibus optio relicta est, & dissentiant in corpore eligendo: siue vnius legatarij plures heredes [sint,] & inter se circa optandum dissentiant, alio aliud corpus eligere cupiente, ne pereat legatum (quod plerique prudentium contra beneuolentiam introducebant) fortunam esse huius optionis iudicem, & sorte hoc esse dirimendum, vt ad quem sors venerit, illius sententia in optione præcellat.

24 ¶ Legari autem illis solum potest, cum quibus testamenti factio est.

25 ¶ Incertis vero personis neque legata, neque fideicommissa olim relinqui concessum erat. Nam ne miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, vt diuus Hadrianus rescripsit. Incerta autem persona videbatur, quã incerta opinione animo suo testator subiiciebat: veluti si quis ita dicat, *quicumque filio meo filiam suam in matrimonium dederit, ei heres meus illum fundum dato*. Illud quo-

que, quod iis relinquebatur, qui post testamentum scriptum primi consules designati essent: æque incertæ personæ legari videbatur. & denique multæ aliæ huiusmodi species sunt. Libertas quoque incertæ personæ non videbatur posse dari, quia placebat nominatim seruos liberari. Sub certa vero demonstratione, id est, ex certis personis incertæ personæ recte legabatur: veluti, *ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam vxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato.* Incertis autem personis legata vel fideicommissa relicta, & per errorem soluta, repeti non posse, sacris constitutionibus cautum erat.

26 ¶ Posthumo quoque alieno inutiliter [antea] legabatur. Est autem alienus posthumus, qui natus inter suos, heres testatori futurus non est. Ideoque ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus erat posthumus auo.

27 ¶ Sed nec huiusmodi species penitus est sine iusta emendatione relicta, quum in nostro Codice constitutio posita sit, per quam & huic parti medemur, non solum in hereditatibus, sed etiam in legatis & fideicommissis: quod euidenter ex ipsius constitutionis lectione clarescit. Tutor autē nec per nostram constitutionem incertus dari debet: quia certo iudicio debet quis pro tutela suæ posteritati cauere.

28 ¶ Posthumus autem alienus heres institui & ante poterat, & nunc potest. nisi in vtero eius sit, quæ iure nostro vxor esse non potest.

29 ¶ Si quidem in nomine, cognomine, prænomine, [agnomine] legatarij testator errauerit: cum de persona constat, nihilominus valet legatum. Idemque in heredibus seruatur, & recte. Nomina enim, significādorum hominū gratia reperta sunt: qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.

30 ¶ Huic proxima est illa iuris regula, falsa

falsa demonstratione legatum non perimi: veluti si quis ita legauerit, *Stichum seruum meum vernam do lego*: licet enim non verna, sed emptus sit: si tamen de seruo constat, vtile est legatum. Et cõuenienter, si ita demonstrauerit, *Stichum seruum, quem à Scio emi*, sitque ab alio emptus: vtile est legatum, si de seruo constat.

31 ¶ Longe magis legato falsa causa adiecta non nocet: veluti cum quis ita dixerit: *Titio, quia me absente negotia mea curauit, Stichum do lego*: vel ita, *Titio, quia patrocinio eius capitali crimine liberatus sum, Stichum do lego*. Licet enim neque negotia testatoris vnquam gesserit Titius, neque patrocinio eius liberatus sit, legatum tamen valet. Sed si conditionaliter enuntiata fuerit causa: aliud iuris est, veluti hoc modo, *Titio, si negotia mea curauerit, fundum [meum] do lego*.

32 ¶ An seruo heredis recte legemus, quæritur. & constat pure inutiliter legari, nec quicquam proficere, si viuo testatore de potestate heredis exierit: quia quod inutile foret legatum, si statim post factum testamentum decessisset testator, hoc non debet ideo valere, quia diutius testator vixerit. Sub conditione vero recte legatur [seruo,] vt requiramus, an quo tempore dies legati cedit, in potestate heredis non sit.

33 ¶ Ex diuerso, herede instituto seruo, quin domino recte etiam sine conditione legetur, non dubitatur. Nam etsi statim post factum testamentum decesserit testator: non tamen apud eum, qui heres sit, dies legati cedere intelligitur: cum hereditas à legato separata sit: & possit per eum seruum alius heres effici, si prius, quã iussu domini adeat, in alterius potestatem transiatus sit: vel manumissus ipse heres efficitur: quibus casibus vtile est legatum. Quod si in eadem causa permanserit, & iussu legatarij adierit: euanescit legatum.

34 ¶ Ante heredis institutionem inutiliter antea legabatur: scilicet quia testamenta vim ex institutione heredis accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti heredis institutio. Pari ratione nec libertas ante heredis institutionē dari poterat. Sed quia inciuile esse putauimus, scripturæ ordinem quidē sequi (quod & ipsi antiquitati vituperandū fuerat visum) sperni autem testatoris voluntatem: per nostram constitutionem & hoc vitium emendauimus: vt liceat & ante heredis institutionem, & inter medias heredum institutiones legatum relinquere, & multo magis libertatem, cuius vsus fauorabilior est.

35 ¶ Post mortem quoque heredis aut legatarij simili modo inutiliter legabatur: veluti si quis ita dicat, *cum heres meus mortuus fuerit, do lego.* Item, *priusquam heres aut legatarius moriatur.* Sed simili modo & hoc correximus, firmitatem huiusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinem præstantes: ne in hoc casu deterior causa legatorum, quam fideicommissorum inueniatur.

36 ¶ Pœnę quoque nomine inutiliter sic antea legabatur & adimebatur, vel transferebatur. Pœnæ autem nomine legari videtur, quod coërcendi heredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti si quis scripserit: *heres meus, si filiam suam in matrimonium Titio collocauerit:* vel ex diuerso, *si non collocauerit, dato decem aureos Sejo:* aut si ita scripserit, *heres meus si seruus Stichum alienauerit* vel ex diuerso, *si non alienauerit, Titio decem aureos dato.* Et in tantum hæc regula obseruabatur, vt quam plurimis principalibus constitutionibus significaretur, nec principem agnoscere, quod ei pœnæ nomine legatum sit. nec ex militis quidem testamento talia legata valebant, quamuis aliæ militum voluntates in ordinandis testamentis valde obseruabantur, quin etiam nec libertates

pœnæ

pœnæ nomine dari posse placebat. eo amplius nec heredem pœnæ nomine adiici posse, Sabinus existimabat: veluti si quis ita dicat, *Titius heres esto, si Titius filiam suam in matrimonium Seio collocauerit, Seius quoque heres esto.* Nihil enim intererat, qua ratione Titius coërceretur, vtrum legati datione, an coheredis adiectione. Sed huiusmodi scrupulositas nobis non placuit: & generaliter ea, quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel in alium translata: nihil distare à cæteris legatis constituimus, vel in dando, vel in adimendo, vel in transferendo: exceptis videlicet iis, quæ impossibilia sunt, vel legibus interdicta, aut alias probrosa. Huiusmodi enim testamentorum dispositiones valere, secta meorum temporum non patitur.

DE ADEMPTIONE LEGATORUM.

TIT. XXI.

ADemptio legatorum (siue eodem testamento adimantur, siue codicillis) firma est. sed & siue contrariis verbis fiat ademptio: veluti si quis ita quid legauerit, *do lego*: ita adimatur, *non do, non lego*: siue non contrariis, sed & aliis quibuscunque verbis.

1 ¶ Transferri quoque legatum ab alio ad alium potest: veluti si quis ita dixerit, *hominem Stichum, quem Titio legaui, Seio do lego*: siue in eodem testamento, siue in codicillis hoc fecerit. quo casu simul [&] Titio adimi videtur, & Seio dari.

DE LEGE FALCIDIA.

TIT. XXII.

SVpereſt, vt de lege Falcidia dispiciamus, qua modus nouissime legatis impositus est. Cum enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi potestas, vt liceret vel totum patrimonium legatis erogare (quippe [cum] ea lege ita cautum esset: *vti quisque legassit suæ rei, ita ius esto*) visum est

hanc legandi licentiam coarctare: idque ipsorum testatorum gratia prouisum est, ob id, quod plerumque intestati moriebantur, recusantibus scriptis heredibus pro nullo aut minimo lucro hereditates adire. Et cum super hoc tam lex Furia, quam lex Voconia latæ sunt, quarum neutra sufficiens ad rei consummationem videbatur: nouissime lata est lex Falcidia, qua cauetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem tororum bonorum: id est, vt siue vnus heres institutus sit, siue plures, apud eum eosve pars quarta remaneat.

2 ¶ Et cum quæsitum esset, duobus heredibus institutis (veluti Titio & Seio) si Titij pars, aut tota exhausta sit legatis, quæ nominatim ab eo data sunt, aut supra modum onerata: à Seio vero aut nulla relicta sint legata, aut quæ partem eius duntaxat in partem dimidiam minuant: an quia is quartam partem totius hereditatis aut amplius habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab eo relicta sunt, retinere liceat, vt quartam partem suæ partis saluam habeat: placuit posse retinere. etenim in singulis heredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est.

3 ¶ Quantitas autem patrimonij, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur. Itaque (verbi gratia) si is, qui centum aureorum patrimonium in bonis habeat, centum aureos legauerit: nihil legatarius prodest, si ante aditam hereditatem per seruos hereditarios, aut ex partu ancillarum hereditariarum, aut ex fœtu pecorum tantum accesserit hereditati, vt centum [aureis] legatorum nomine erogatis heres quartam partem hereditatis habiturus sit: sed necesse est, vt nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Ex diuerso, si septuaginta quinque legauerit, & ante aditam hereditatem in tantum decreuerint bona (incendiis forte, aut naufragiis, aut morte seruorum)

seruorum)vt non amplius,quam septuagintaquinque[aureorum substantia,]vel etiam minus relinquatur:solida legata debentur. Nec ea res damnosa est heredi, cui liberum est non adire hereditatem:quæ res efficit, vt sit necesse legatariis, ne destituto testamento nihil consequantur, cum herede in portione pacisci.

4 ¶ Cum autem ratio legis Falcidiæ ponitur,ante deducitur æs alienum:item funeris impensa, & pretia seruorum manumissorum:tunc demum in reliquo ita ratio habetur, vt ex eo quarta pars apud heredem remaneat, tres vero partes inter legatarios distribuãtur:pro rata scilicet portione eius, quod cuique eorum legatum fuerit. Itaque si fingamus quadringentos aureos legatos esse, & patrimonij quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum esse:quarta pars legatariis singulis debet detrahi. Quod si trecentos quinquaginta legatos fingamus:octaua debet detrahi. Quod si quingentos legauerit: initio quinta, deinde quarta detrahi debet. Ante enim detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est,deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet.

DE FIDEICOMMISSARIIS HEreditatibus:[& ad senatusconsultum Trebellianum.]

TIT. XXIII.

NVnc transeamus ad fideicommissa. sed prius est,vt de hereditatibus fideicommissariis videamus.

1 ¶ Sciendum itaque est, omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse,quia nemo inuitus cogebatur præstare id,de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hereditatem, vel legata relinquere,si reliquebant,fidei committebant eorum, qui capere ex testamento poterant[hereditatem.] Et ideo fideicommissa appellata sunt, quia nullo

nullo vinculo iuris, sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Postea diuus Augustus primus, semel iterumque gratia personarum motus, vel quia per ipsius salutem rogatus quis diceretur, aut ob insignem quorundam perfidiam, iussit consulibus auctoritatem suam interponere. Quod quia iustum videbatur, & populare erat: paulatim conuersum est in assiduam iurisdictionem: tantusque eorum fauor factus est, vt paulatim etiam prætor proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem fideicommissarium appellabant.

2 ¶ In primis igitur sciendum est, opus esse, vt aliquis recto iure testamento heres instituatur: eiusque fidei committatur, vt eam hereditatem alij restituat. alioqui inutile est testamentum, in quo nemo heres instituitur. Cum igitur aliquis scripserit, *Lucius Titius heres esto*: potest adiicere, *rogo te Luci Titi, vt cum primum poteris hereditatem meam adire, eam Caio Seio reddas restituas.* Potest autem quisque & de parte restituenda heredem rogare. Et liberum est, vel pure, vel sub conditione relinquere fideicommissum, vel ex certo die.

3 ¶ Restituta autē hereditate, is quidem, qui restituit, nihilominus heres permanet: is vero, qui recipit hereditatem, aliquando heredis, aliquando legatarij loco habetur.

4 ¶ Et Neronis quidem temporibus Trebellio Maximo & Annæo Seneca consulibus senatusconsultum factum est: quo cautum est, vt si hereditas ex fideicommissi causa restituta sit: omnes actiones, quæ iure ciuili heredi, & in heredem competerent, ei, & in eum darentur, cui ex fideicommisso restituta esset hereditas. Post quod senatusconsultum prætor vtiles actiones ei, & in eum, qui recipit hereditatem, quasi heredi, & in heredem dare cœpit.

5 ¶ Sed quia heredes scripti, cum aut totam

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0120
Mecklenburg Vorpommern

tam hereditatem, aut pene totam pferunque restituere rogabantur, adire hereditatem ob nullum vel minimum lucrum recusabant, atque ob id extinguebantur fideicommissa: postea Vespasiani Augusti temporibus Pegaso & Pusione consulibus senatus censuit: vt ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere cõceditur. Ex singulis quoq; rebus, quę per fideicõmissum relinquuntur, eadem retentio permissa est. Post quod senatusconsultum ipse heres onera hereditaria sustinebat. Ille autem, qui ex fideicommisso recipiebat, partem hereditatis, legatarij partiarij loco erat, id est, eius legatarij, cui pars bonorum legabatur; quæ species legati, partitio vocabatur: quia cum herede legatarius partiebatur hereditatẽ. Vnde quæ solebant stipulationes inter heredem & partiarium legatarium interponi: eædem interponebantur inter eum, qui ex fideicommisso recepit hereditatem, & heredem, id est, vt lucrum & damnum hereditarium pro rata parte inter eos commune esset.

6 ¶ Ergo siquidem non plus, quam dodrantem hereditatis scriptus heres rogatus sit restituere: tunc ex Trebelliano senatusconsulto restituebatur hereditas, & in vtrũque actiones hereditariæ pro rata parte dabantur: in heredem quidem iure ciuili: in eum vero, qui recipiebat hereditatem, ex senatusconsulto Trebelliano tanquam in heredem. At si plus, quam dodrantem, vel etiam totam hereditatem restituere rogatus esset: locus erat Pegasiano senatusconsulto: & heres, qui semel adierat hereditatem (si modo sua voluntate adierat) siue retinuerat quartam partem, siue retinere noluerat: ipse vniuersa onera hereditaria sustinebat. Sed quarta quidem retenta, quasi partis & pro parte stipulationes interponebantur, tanquam

quam inter partiarium legatarium & heredem. si vero totam hereditatem restitueret: emptæ & venditæ hereditatis stipulationes interponebantur. Sed si recusabat scriptus heres adire hereditatem ob id, quod diceret eam sibi suspectam esse quasi damnosam: cauebatur Pegasiano senatusconsulto, vt desiderante eo, cui restituere rogatus esset, iussu prætoris adiret, & restitueret hereditatem: perindeque ei & in eum, qui reciperet hereditatem, actiones darentur, ac iuris est ex Trebelliano senatusconsulto. quo casu nullis stipulationibus est opus: quia simul & huic, qui restituit, securitas datur; & actiones hereditariæ ei & in eum transferuntur, qui recipit hereditatem, vtroque senatusconsulto in hac specie concurrente.

7 ¶ Sed quia stipulationes ex senatusconsulto Pegasiano descendentes, & ipsi antiquitati displicuerunt, & quibusdam casibus captiosas eas homo excelsi ingenij Papinianus appellat, & nobis in legibus magis simplicitas quam difficultas placet: ideo omnibus nobis suggestis tam similitudinibus, quã differentiis vtriusque senatusconsulti placuit, explosa senatusconsulto Pegasiano, quod postea superuenit, omnem auctoritatem Trebelliano senatusconsulto præstare, vt ex eo fideicommissariæ hereditates restituantur: siue habeat heres ex voluntate restatoris quartam, siue plus, siue minus, siue nihil penitus: vt tunc quando vel nihil, vel minus quarta apud eum remanet, liceat ei vel quartam, vel quod deest, ex nostra auctoritate retinere, vel repetere solutũ quasi ex Trebelliano senatusconsulto: pro rata portione actionibus, tam in heredem, quam in fideicommissarium competentibus. si vero totam hereditatem sponte restituerit: omnes hereditariæ actiones fideicommissario, & aduersus eum competant. Sed etiam id, quod præcipuum Pegasiani senatusconsulti

sulti fuerat, vt quando recusaret heres scriptus sibi datam hereditatem adire, necessitas ei imponeretur totam hereditatem volenti fideicommissario restituere, & omnes ad eum & contra eum transferre actiones: & hoc transposuimus ad senatusconsultum Trebellianum, vt ex hoc solo necessitas heredi imponatur, si ipso nolente adire, fideicommissarius desideret restitui sibi hereditatem, nullo nec damno nec cõmodo apud heredem remanente.

8 ¶ Nihil autem interest, vtrum aliquis ex asse heres institutus, aut totam hereditatem, aut pro parte restituere rogatur: an ex parte heres institutus, aut totam eam partem, aut partem partis restituere rogatur. Nam & hoc casu eadem obseruari præcipimus, quæ in totius hereditatis restitutione diximus.

9 ¶ Si quis vna aliqua re deducta, siue præcepta, quæ quartam continet (veluti fundo, vel alia re) rogatus sit restituere hereditatem: simili modo ex Trebelliano senatusconsulto restitutio fiet, perinde ac si quarta parte retenta rogatus esset reliquam hereditatem restituere. sed illud interest, quod altero casu, id est, cum deducta, siue præcepta aliqua re, restituitur hereditas: in solidum ex eo senatusconsulto actiones transferuntur: & res, quæ remanet apud heredem, sine vllo onere hereditario apud eum remanet, quasi ex legato ei adquisita. altero vero casu, id est, cum quarta parte retenta rogatus est heres restituere hereditatem, & restituit: scindũtur actiones, & prododrante quidem transferuntur ad fideicommissarium, pro quadrante remanent apud heredem. Quinetiam licet vna re aliqua deducta, aut præcepta, restituere aliquis hereditatem rogatus sit, in qua maxima pars hereditatis contineatur: æque in solidum transferuntur actiones: & secum deliberare

debet

debet is, cui restituitur hereditas, an expediat sibi restitui. Eadem scilicet interueniunt, & si duabus pluribusve deductis præceptisve rebus, restituere hereditatem rogatus sit. Sed & si certa summa deducta præceptave, quæ quartam vel etiam maximam partem hereditatis continet, rogatus sit aliquis hereditatem restituere: idem iuris est. Quæ [autem] diximus de eo, qui ex asse institutus est: eadem transferimus & ad eum, qui ex parte heres scriptus est.

10 ¶ Præterea intestatus quoque moriturus, potest rogare eum, ad quem bona sua, vel legitimo iure, vel honorario pertinere intelligit: vt hereditatem suam totam, partemve eius, aut rem aliquam (veluti fundum, hominem, pecuniam) alicui restituat: cum alioqui legata, nisi ex testamento, non valeant.

11 ¶ Eum quoque', cui aliquid restituitur, potest rogare, vt id rursum alij, aut totum, aut partem, vel etiã aliquid aliud restituat.

12 ¶ Et quia prima fideicommissorum cunabula à fide heredum pendent, & tam nomen, quam substantiam acceperunt: ideo diuus Augustus ad necessitatem iuris ea retraxit. Nuper & nos eundem principem superare contendentes, ex facto, quod Tribonianus vir excellentissimus exquæstore sacri palatij suggessit, constitutione fecimus: per quam disposuimus, si testator fidei heredis sui commisit, vt vel hereditatem, vel speciale fideicommissum restituat, & neque ex scriptura, neque ex quinque testium numero (qui in fideicommissis legitimus esse noscitur) possit res manifestari, sed vel pauciores, quam quinque, vel nemo penitus testis interuenerit: tunc siue pater heredis, siue alius, quicunque sit, qui fidem heredis elegerit, & ab eo restitui aliquid voluerit: si heres perfidia tentus adimplere fidem recusat, negando rem ita esse subsequitur, si

fideicom-

fideicommissarius iusiurandum ei detulerit, cum prius ipse de calumnia iurauerit. necesse eum habere vel iusiurandum subire, quod nihil tale à testatore audiuerit, vel recusantem ad fideicommissi vel vniuersalis, vel specialis solutionem coarctari, ne depereat vltima voluntas testatoris fidei heredis commissa. Eadem obseruari censuimus, & si à legatario vel fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quod si is, à quo relictum dicitur, [postquã negauerit,] confiteatur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat, omnino soluere cogendus est.

DE SINGVLIS REBVS PER fideicommissum relictis.

TIT. XXIIII.

POtest tamen quis etiam singulas res per fideicommissum relinquere: veluti fundum, argentum, hominem, vestem, [&] pecuniam numeratam: & vel ipsum heredem rogare, vt alicui restituat, vel legatario, quamuis à legatario legari non possit.

1 ¶ Potest autem non solum proprias res testator per fideicommissum relinquere: sed & heredis, aut legatarij, aut fideicommissarij, aut cuiuslibet alterius. Itaque & legatarius & fideicommissarius non solum de ea re rogari potest, vt eam alicui restituat, quæ ei relicta sit: sed etiam de alia, siue ipsius, siue aliena sit. Hoc solum obseruandum est, ne plus quisquam rogetur alicui restituere, quam ipse ex testamento ceperit; nam quod amplius est, inutiliter relinquitur. Cum autem aliena res per fideicommissum relinquitur: necesse est ei, qui rogatus est, aut ipsam redimere & præstare, aut æstimationem eius soluere.

2 ¶ Libertas quoque seruo per fideicommissum dari potest, vt heres eum rogetur manumittere, vel legatarius, vel fideicommissarius. nec interest, verum de suo proprio

seruo testator roget, an de eo, qui ipsius heredis, aut legatarij, vel etiam extranei sit. Itaque & alienus seruus redimi & manumitti debet. Quod si dominus eum non vendat: si modo nihil ex iudicio eius, qui reliquit libertatem, recepit; non statim extinguitur fideicommissaria libertas, sed differtur, quia possit tempore procedente, vbicumque occasio serui redimendi fuerit, præstari libertas. Qui autem ex fideicommissi causa manumittitur, non testatoris fit libertus, etiam si testatoris seruus sit, sed eius, qui manumittit. At is, qui directo ex testamento liber esse iubetur, ipsius testatoris libertus fit, qui etiam orcinus appellatur. Nec alius vllus directo ex testamento libertatem habere potest, quam qui vtroque tempore testatoris fuerit, & quo faceret testamentum, & quo moreretur. Directa autem libertas tunc dari videtur, cum non ab alio seruum manumitti rogat, sed velut ex suo testamento libertatem ei competere vult.

3 ¶ Verba autem fideicommissorum hæc maxime in vsu habentur, *peto, rogo, volo, mando, fidei tuæ committo.* quæ perinde singula firma sunt, atque si omnia in vnum congesta essent.

DE CODICILLIS.

TIT. XXV.

ANte Augusti tempora constat codicillorum ius in vsu non fuisse. sed primus Lucius Lentulus (ex cuius persona etiam fideicommissa [esse] cœperunt) codicillos introduxit. Nam cum decederet in Africa, scripsit codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petiit per fideicommissum, vt faceret aliquid. Et cum diuus Augustus voluntatem eius implesset: deinceps reliqui eius auctoritatem sequuti, fideicommissa præstabant: & filia Lentuli legata, quæ iure non debebat, soluit. Dicitur

cur autem Augustus connocasse sapientes viros, interque eos Trebatium quoque, cuius tunc auctoritas maxima erat, & quæsisse, an posset recipi hoc, nec absonans à iuris ratione codicillorum vsus esset: & Trebatium suasisse Augusto, quod diceret vtilissimum & necessarium hoc ciuibus esse propter magnas & longas peregrinationes. quæ apud veteres fuissent: vbi si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post quæ tempora cum & Labeo codicillos feciffet: iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur.

1 ¶ Non tantum autem testamento facto potest quis codicillos facere, sed [& intestatus quis decedens fideicommittere codicillis potest. Sed cum ante testamentum factum codicilli facti erant: Papinianus ait, non aliter vires habere, quam si speciali postea voluntate confirmentur. Sed diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, ex iis codicillis, qui testamentum præcedunt, posse fideicommissum peti: si appareat eum qui testamentum fecit à voluntate, quam in codicillis expressérat, non recessisse.

2 ¶ Codicillis autem hereditas neque dari, neque adimi potest: ne confundatur ius testamentorum & codicillorum. & ideo nec exheredatio scribi. Directo autem hereditas codicillis neque dari neque adimi potest: nam per fideicommissum hereditas codicillis iure relinquitur. Nec conditionem heredi instituto codicillis adiicere, neque substituere directo [quis] potest

3 ¶ Codicillos etiam plures quis facere potest, & nullam solemnitatem ordinationis desiderant.

INSTITVTIONVM,
seu Elementorum
D. IVSTINIANI
sacratissimi Principis,
LIBER TERTIVS.
DE HEREDITATIBVS, quæ ab intestato deferuntur.

TITVLVS I.

INTESTATVS decedit qui aut omnino testamentum non fecit: aut non iure fecit: aut id, quod fecerat, ruptum irritumve factum est, aut si ex eo nemo heres extiterit.

1 ¶ Intestatorum autem hereditates ex lege duodecim tabularum, primum ad suos heredes pertinent.

2 ¶ Sui autem heredes existimantur (vt supra diximus) qui in potestate morientis fuerint: veluti filius filiave, nepos neptisve ex filio, pronepos proneptisve ex nepote ex filio nato prognatus prognatave. Nec interest, vtrum naturales sint liberi, an adoptiui. Quibus connumerari necesse est etiam eos, qui ex legitimis quidem [nuptiis vel] matrimoniis non sunt progeniti, curiis tamen ciuitatum dati secundum diualium constitutionum, quæ super his positæ sunt, tenorem, [heredum] suorum iura nanciscuntur. Necnon eos, quos nostræ amplexæ sunt constitutiones, per quas iussimus, [vt] si quis mulierem in suo contubernio copulauerit, non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum qua poterat habere coniugium, & ex ea liberos sustulerit: postea vero affectione procedente, etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, & filios vel filias habuerit

buerit: non solum eos liberos, qui post dotem editi sunt, iustos & in potestate patris esse: sed etiam anteriores, qui & iis qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis præstiterunt. Quod obtinere censuimus, & si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint subtracti. Ita demum tamen nepos neptisve, pronepos proneptisve, suorum heredum numero sunt, si præcedens persona defierit in potestate parentis esse: siue morte id acciderit, siue alia ratione, velut emancipatione. Nam si per id tempus, quo quis moritur, filius in potestate eius sit: nepos ex eo, suus heres esse non potest. Idque & in cæteris deinceps liberorum personis dictum [esse] intelligimus. Posthumi quoque, qui si viuo parente nati essent, in potestate [eius] futuri forent, sui heredes sunt.

3 ¶ Sui autem heredes fiunt etiam ignorantes, & licet furiosi sint, heredes possunt existere: quia quibus ex causis ignorantibus nobis acquiritur: ex his causis & furiosis acquiri potest. Et statim morte parentis quasi continuatur dominium. & ideo nec tutoris auctoritate opus est pupillis, cum etiam ignorantibus acquiratur suis heredibus hereditas. nec curatoris assensu acquiritur furioso, sed ipso iure.

4 ¶ Interdum autem, licet in potestate [parentis] mortis tempore suus heres non fuerit, tamen suus heres parenti efficitur: veluti [si] ab hostibus quis reuersus fuerit post mortem patris [sui. Jus enim postliminij hoc facit.

5 ¶ Per contrarium [autem hoc] euenit vt licet quis in familia defuncti sit mortis tempore, tamen suus heres non fiat: veluti si post mortem suam pater iudicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria eius damnata fuerit. Suum enim heredē ha-

bere non potest, cum fiscus ei succedat sed potest dici ipso [quidem] iure suum heredem esse, sed desinere.

6 ¶ Cum filius filiave, & ex altero filio nepos neptisve existunt, pariter ad hereditatem [aui] vocantur: nec qui gradu proximior est, vlteriorem excludit. Aequum enim esse videtur, nepotes neptesque in patris sui locum succedere. Pari ratione & si nepos neptisve sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptisve: simul vocantur. Et quia placuit nepotes neptesve, item pronepotes proneptesve in parentis sui locum succedere: conueniens esse visum est, non in capita sed in stirpes hereditatem diuidi, vt filius partem dimidiam hereditatis habeat, & ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam. Item si ex duobus filiis nepotes neptesve existant, ex altero vnus forte aut duo, ex altero tres aut quatuor: ad vnum aut duos dimidia pars pertineat, ad tres vel ad quatuor altera dimidia.

7 ¶ Cum autem quæritur, an quis suus heres existere possit: eo tempore quærendum est, quo certum est aliquem sine testamento decessisse, quod accidit & destituto testamento. Hac ratione, si filius exheredatus fuerit, & extraneus heres institutus, & filio mortuo, postea certum fuerit heredem institutum ex testamento non fieri heredē, aut quia noluit esse heres, aut quia non potuit, nepos auo suus heres existet: quia quo tempore certum est intestatum decessisse patremfamilias, solus inuenitur nepos. & hoc certum est.

8 ¶ Et licet post mortem aui natus sit, tamen auo viuo conceptus mortuo patre eius posteaque deserto aui testamento, suus heres efficitur. Plane si & conceptus & natus fuerit post mortem aui: mortuo patre suo, desertoque postea aui testamento suus heres auo non existet: quia nullo iure cognā

gationis patrem sui patris attigit. Sed nec ille est inter liberos aui, quem filius emancipatus adoptauit. Hi autem, cum non sint sui (quantum ad hereditatem) liberi: neque bonorum possessionem petere possunt quasi proximi cognati. Hæc de suis heredibus.

9 ¶ Emancipati autem liberi, iure ciuili nihil iuris habent (neque enim sui heredes sunt, qui in potestate parentis esse desierunt) neque vllo alio iure per legem duodecim tabularum vocantur. sed prætor naturali æquitate motus, dat eis bonorum possessionem *Unde liberi*, perinde ac si in potestate parentis tempore mortis fuissent: siue soli sint, siue cum suis heredibus concurrant. Itaque duobus liberis existentibus, emancipato vno, & eo qui tempore mortis in potestate fuerit: sane quidem is, qui in potestate fuit, solus iure ciuili heres est, & solus suus heres, sed cum emancipatus beneficio prætoris in partem admittitur: euenit, vt suus heres pro parte heres fiat.

10 ¶ At hi, qui emancipati à parente in adoptionem se dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris quasi liberi: si modo, cum is moreretur, in adoptiua familia fuerint. Nam viuo eo emancipati ab adoptiuo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac si emancipati ab ipso essent, nec vnquam in adoptiua familia fuissent. Et conuenienter, quod ad adoptiuum patrem pertinet, æque extraneorum loco esse incipiunt. Post mortem vero naturalis patris emancipati ab adoptiuo patre: & quantum ad hunc adoptiuum patrem pertinet, æque extraneorum loco fiunt: & quantum ad naturalis patris bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciscuntur. Quod ideo sic placuit, quia iniquum erat esse in potestate patris adopti-

ui, ad quos bona naturalis patris pertineant, vtrum ad liberos eius, an ad agnatos.

11 ¶ Minus ergo iuris habent adoptiui [filij] quam naturales. namque naturales emancipati, beneficio prætoris gradum liberorum retinent, licet iure ciuili perdant: adoptiui vero emancipati & iure ciuili perdunt gradum liberorum, & à prætore non admittuntur, & recte. naturalia enim iura ciuilis ratio perimere non potest, nec quia desinunt sui heredes esse, possunt desinere filij filiæve, aut neptes neptesve esse. adoptiui vero emancipati, extraneorum loco incipiunt esse: quia ius nomenque filij filiæque, quod per adoptionem consequuti sunt, alia ciuili ratione, id est, emancipatione perdunt.

12 ¶ Eadem hæc obseruantur, & in eo bonorum possessione, quam contra tabulas testamenti parentis liberis præteritis, id est, neque heredibus institutis, neque vt oportet exheredatis, prætor pollicetur. Nam eos quidem, qui in potestate mortis tempore fuerint, & emancipatos, vocat prætor ad eandem bonorum possessionem: eos vero, qui in adoptiua familia fuerint per hoc tempus quo naturalis parens moreretur, repellit. Item adoptiuos liberos emancipatos ab adoptiuo patre, sicut ab intestato, ita longe minus contra tabulas testamenti ad bona eius [non] admittit: quia desinunt [in] numero liberorum [eius] esse.

13 ¶ Admonendi tamen sumus, eos, qui in adoptiua familia sunt, quive post mortem naturalis parentis ab adoptiuo patre emancipati fuerint: intestato parente naturali mortuo, licet ea parte edicti, qua liberi ad bonorum possessionem vocantur, non admittantur, alia tamen parte vocari, scilicet qua cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ita admittuntur, si neque sui heredes liberi, neque emancipati obstent, neque adgnatus

gnatus quidem vllus interueniat. Ante enim præter liberos vocat tam suos heredes, quã emancipatos, deinde legitimos heredes, deinde proximos cognatos.

14 ¶ Sed ea omnia antiquitati [quidem] placuerunt: aliquam autem emendationem à nostra constitutione acceperunt, quam super iis personis composuimus, quæ à patribus suis naturalibus in adoptionem aliis dantur. Inuenimus etenim nonnullos casus, in quibus filij & naturalium parentum successionem propter adoptionem amittebãt & adoptione facile per emancipationem soluta, ad neutrius patris successionem vocabantur. Hoc solito more corrigentes, constitutionem scripsimus, per quam definimus, quando parens naturalis filium suum adoptandum alij dederit, integra omnia iura ita seruari, atque si in patris naturalis potestate permansisset, nec penitus adoptio fuisset subsequuta: nisi in hoc tantummodo casu vt possit ab intestato ad patris adoptiui venire successionem. Testamento autem ab eo facto: neque iure ciuili, neque prætorio, ex hereditate eius aliquid persequi potest, neque contra tabulas bonorum possessione agnita, neque inofficiosi querela instituta: cum nec necessitas patri adoptiuo imponatur, vel heredem eum instituere, vel exheredatum eum facere, vtpote nullo vinculo naturali copulatum, neque si ex Sabiniano senatusconsulto ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nam & in eiusmodi casu, neque quarta ei seruatur, neque vlla actio ad eius persequutionem ei competit. Nostra autem constitutione exceptus est is, quem parens naturalis adoptandum susceperit. Vtroque enim iure tam naturali, quam legitimo in hanc personam concurrente: pristina iura tali adoptioni seruamus, quemadmodum si paterfamilias sese dederit adrogandum: quæ specialiter & singula-

rim ex præfatæ constitutionis tenore possunt colligi.

15 ¶ Item vetustas, ex masculis progenitos plus diligens, solos nepotes vel neptes, qui [quæve] ex virili sexu descendunt, ad suorum vocabant successionem, & iure agnatorum eos anteponebat: nepotes autem, qui ex filiabus nati sunt, & pronepotes, ex neptibus, cognatorum loco connumerans, post agnatorum lineam eos vocabat tam in aui vel proaui materni, quam in auiæ vel proauiæ, siue paternæ, siue maternæ successionem. Diui autem principes non passi sunt talem contra naturam iniuriam sine competenti emendatione relinquere: sed cum nepotis & pronepotis nomen commune sit vtriusque, tam qui ex masculis, quam qui ex fœminis descendunt: ideo eundem gradum & ordinem successionis eis donauerunt. Sed vt amplius aliquid sit eis, qui non solum naturæ, sed etiam veteris iuris suffragiis muniuntur: portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps (de quibus suprà diximus) paulo minuendam esse existimauerunt: vt minus tertia parte acciperent, quam mater eorum, vel auia fuerat acceptura, vel pater eorum, vel auus paternus, siue maternus, quando fœmina mortua sit, cuius de hereditate agitur: iisque (licet soli sint) adeuntibus adgnatos minime vocabat. Et quemadmodum lex duodecim tabularum filio mortuo nepotes, vel neptes, pronepotes vel proneptes in locum patris sui ad successionem aui sui vocat: ita & principalis dispositio in locum matris suæ vel auiæ, eos cum iam designata partis tertiæ deminutione vocat.

16 ¶ Sed nos, cũ adhuc dubitatio maneret inter adgnatos & memoratos nepotes, quartam partem substantiæ defuncti adgnatis sibi vindicantibus ex cuiusdam constitutionis auctoritate, memoratam quidem cõstitu-

Barlachstadt Güstrow http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0134 Mecklenburg Vorpommern

stitutionem à nostro Codice segregauimus, neque inseri eam ex Theodosiano Codice in eo concessimus. Nostra autem constitutione promulgata tori iuri eius derogatum est: & sanximus, talibus nepotibus ex filia, vel pronepotibus ex nepte, & deinceps, superstitibus, adgnatos nullam partem mortui successionis sibi vindicare: ne hi, qui ex transuersa linea veniunt, potiores iis habeantur, qui recto iure descendunt. Quam constitutionem nostram obtinere secundum sui vigorem & tempora, & nunc sancimus: ita tamen, vt quemadmodum inter filios & nepotes ex filio antiquitas statuit, non in capita, sed in stirpes diuidi hereditatem: similiter nos inter filios & nepotes ex filia distributionem fieri iubeamus, vel inter omnes nepotes & neptes, & inter pronepotes & proneptes & alias deinceps personas: vt vtraque progenies, matris vel patris, animæ vel aui portionem sine vlla deminutione consequatur: vt si forte vnus vel duo ex vna parte, ex altera tres aut quatuor extent: vnus aut duo dimidiam, alteri tres aut quatuor alteram dimidiam hereditatis habeant.

DE LEGITIMA ADGNATORUM SUCCESSIONE.

TIT. II.

SI nemo suus heres, vel eorum, quos inter suos heredes prætor, vel constitutiones vocant, existat, qui successionem quoquo modo amplectatur: tunc ex lege duodecim tabularum ad adgnatum proximum pertinet hereditas.

1 ¶ Sunt autem adgnati (vt primo quoque libro tradidimus) cognati per virilis sexus personas cognatione coniuncti, quasi à patre connati. Itaque [ex] eodem patre nati fratres, adgnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur: nec requiritur, an eiam eandem matrem habuerint. Item patruus

fratris

fratris filio, & inuicem is illi adgnatus est. Eodem numero sunt fratres patrueles, id est, qui ex duobus fratribus procreati sunt, qui etiam consobrini vocantur. Qua ratione etiam ad plures gradus adgnationis peruenire poterimus. Ij etiam, qui post mortem patris nascuntur, iura consanguinitatis nanciscuntur. Non tamen omnibus simul adgnatis dat lex hereditatem: sed iis qui tunc proximiores gradu sunt, cum certum esse cœperit aliquem intestatum decessisse.

2 ¶ Per adoptionem quoque adgnationis ius constitit: veluti inter filios naturales, & eos, quos pater eorum adoptauit. Nec dubium est, quin improprie consanguinei appellentur. Item si quis ex cæteris adgnatis [tuis], veluti frater, aut patruus, aut denique is, qui longiore gradu est, adoptauerit aliquem: adgnatus inter suos heredes esse non dubitatur.

3 ¶ Cæterum inter masculos quidem adgnationis iure hereditas, etiam si longissimo gradu sint, vltro citroque capitur. Quod ad fœminas vero attinet: ita placebat, vt ipsæ consanguinitatis iure tantum capiant hereditatem, si sorores sint: vlterius non capiant. masculi autem ad earum hereditates (etiam si longissimo gradu sint) admittantur. Qua de causa fratris tui, aut patrui tui filiæ, vel amitæ tuæ hereditas ad te pertinebat: tua vero ad illas non pertinebat. Quod ideo ita constitutum erat, quia commodius videbatur ita iura constitui, vt plerumque hereditates ad masculos confluerent. Sed quia sane iniquum erat, in vniuersum eas quasi extraneas repelli: prætor eas ad bonorum possessionem admittit ea parte, qua proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur, ex qua parte ita scilicet admittuntur, si neque adgnatus vllus neque proximior cognatus interueniat.

ueniat. Et hæc quidem lex duodecim tabularum nullo modo introduxit: sed simplicitatem legibus amicam amplexa, simili modo omnes adgnatos, siue masculos, siue fœminas cuiuscumque gradus, ad similitudinem suorum inuicem ad successionem vocabat. Media autem iurisprudentia, quæ erat quidem lege duodecim tabularum iunior, imperiali autem dispositione anterior: subtilitate quadam excogitata, præfatam differentiam inducebat, & penitus eas à successione adgnatorum repellebat: omni alia successione incognita, donec prætores paulatim asperitatem iuris ciuilis corrigentes: siue, quod decerat, implentes humano proposito, alium ordinem suis edictis addiderunt, & cognationis linea proximitatis nomine introducta, per bonorum possessionem eas adiuuabant, & pollicebantur his bonorum possessionem, quæ *unde cognati* appellatur. Nos vero, legem duodecim tabularum sequentes, & eius vestigia in hac parte conseruantes, laudamus quidem prætores suæ humanitatis, non tamen eos in plenum [huic] causæ mederi inuenimus. Quare etenim vno eodemque gradu naturali concurrente, & adgnationis titulis, tam in masculis, quam in fœminis æqua lance constitutis, masculis quidem dabatur ad successionem venire omnium adgnatorum: ex adgnatis autem mulieribus nulli penitus, nisi soli sorori, ad adgnatorum successionem patebat aditus? Ideo [nos] in plenum omnia reducentes, & ad ius duodecim tabularum eâdem dispositionem exæquantes, nostra constitutione sancimus, omnes legitimas personas, id est, per virilem sexum descendentes (siue masculini generis, siue fœminini sint) simili modo ad iura successionis legitimæ ab intestato vocari secundum sui gradus prærogatiuam: nec ideo excludendas, quia consanguinitatis iura, sicut

ger

germanæ non habent.

4 ¶ Hoc etiam addendum nostræ constitutioni existimauimus, vt transferatur vnus tantummodo gradus à iure cognationis in legitimam successionem: vt non solum fratris filius & filia (secundum quod iam definiuimus) ad successionem patris sui vocentur. sed etiam germanæ consanguineæ, vel fororis vterinæ filius & filia soli, & non deinceps personæ vna cum his ad iura auunculi sui perueniant: & mortuo eo, qui patruus quidem est sui fratris filiis, auunculus autem fororis snæ soboli: simili modo ab vtroque latere succedant, tanquam si omnes ex masculis descendentes, legitimo iure veniant, scilicet vbi frater & soror superstites non sunt. His etenim personis præcedentibus & successionem admittentibus, cæteri gradus remanēt penitus semoti, videlicet hereditate non in stirpes, sed in capita diuidenda.

5 ¶ Si plures sint gradus adgnatorum: aperte lex duodecim tabularum proximum vocat. Itaque si (verbi gratia) sint defuncti frater, & alterius fratris filius, aut patruus: frater potior habetur. Et quamuis singulari numero vsa lex [duodecim tabularum] proximum vocet, tamen dubium non est, quin, si plures sint eiusdem gradus, omnes admittātur. Nam & proprie proximus ex pluribus gradibus intelligitur: & tamen non dubium est, quin licet vnus sit gradus adgnatorum, pertineat ad eos hereditas.

6 ¶ Proximus autem, si quidem nullo testamento facto quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, cuius de hereditate quæritur. Quod si facto testamento quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo certum esse cœperit, nullum ex testamento heredem exstiturum. tunc enim proprie quisque intestatus decessisse intelligitur. Quod quidem

ali-

aliquando longo tempore declaratur. In quo ſpatio temporis ſæpe accidit, vt proximiore mortuo, proximus eſſe incipiat, qui moriente teſtatore non erat proximus.

7 ¶ Placebat autem in eo genere percipiendarum hereditatum ſucceſsionem non eſſe: id eſt, vt quamuis proximus, qui ſecundum ea, quæ diximus, vocatur ad hereditatem, aut ſprenerit hereditatem, aut antequam adeat, deceſſerit: nihilo magis legitimo iure ſequentes admittantur. Quod iterum prætores imperfecto iure corrigentes, non in totum ſine adminiculo relinquebant: ſed ex cognatorum ordine eos vocabant, vtpote agnationis iure eis recluſo. Sed nos nihil perfectiſsimo iuri deeſſe cupientes, noſtra conſtitutione, quam de iure patronatus, humanitate ſuggerente, protulimus [ſancimus] ſucceſsionem in agnatorum hereditatibus non eſſe eis denegandam: cum ſatis abſurdum erat, quod cognatis à prætore apertum eſt, hoc agnatis eſſe recluſum: maxime cum in onere quidem tutelarum & primo gradu deficiente, ſequens ſuccedit: & quod in onere obtinebat, non erat in lucro permiſſum.

8 ¶ Ad legitimam ſucceſsionem nihilominus vocatur etiam parens, qui contracta fiducia filium vel filiam, nepotem vel neptem, ac deinceps emancipat. quod ex noſtra conſtitutione omnino inducitur, vt emancipationes liberorum ſemper videantur quaſi contracta fiducia fieri: cum apud veteres non aliter hoc obtinebat: niſi ſpecialiter contracta fiducia parens manumiſiſſet.

DE SENATVS CONSVLTO Tertulliano.

TIT. III.

LEx duodecim tabularum ita ſtricto iure vtebatur, & præponebat maſculorum

pro

progeniem: & eos, qui per fœminini sexus necessitudinem sibi iunguntur, adeo expellebat, vt ne quidem inter matrem & filium filiamve vltro citroque hereditatis capiendæ ius daret: nisi quod prætores ex proximitate cognatorum eas personas ad successionem bonorum possessione, *vnde cognati*, adcommodata, vocabant.

1 ¶ Sed hæ iuris angustiæ postea emendatæ sunt. Et primus quidem diuus Claudius matri, ad solatium liberorum amissorum, legitimam eorum detulit hereditatem.

2 ¶ Postea autem senatusconsulto Tertylliano, quod diui Adriani temporibus factum est, plenissime de tristi successione matri, non etiá auiæ deferenda cautũ est: vt mater ingenua trium liberorum ius habẽs, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumve admittatur intestato mortuorum, licet in potestate parentis sit: vt scilicet cum alieno iuri subiecta est, iussu eius adeat [hereditatem], cuius iuri subiecta est.

3 ¶ Præferuntur autem matri liberi defuncti, qui sui sunt, quive suorum loco sunt, siue primi gradus, siue vlterioris. Sed & filiæ suæ mortuæ filius vel filia præponitur ex constitutionibus matri defunctæ, id est, auiæ suæ. Pater vero vtriusque, non etiam auus & proauus matri anteponitur, scilicet cum inter eos solos de hereditate agitur. Frater autem consanguineus tam filij, quam filiæ excludebat matrem: soror autem consanguinea pariter cum matre admittebatur. Sed si fuerant frater & soror consanguinei, & mater liberis onerata: frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hereditas ex æquis partibus fratribus & sororibus.

4 ¶ Sed nos constitutione, quam in Codice nostro nomine decorato posuimus, matri subueniendum esse existimauimus: respicien-

spicientes ad naturam, & puerperium, & periculum, & sæpe mortem ex hoc casu matribus illatam. Ideoque impium esse credidimus, casum fortuitum in eius admitti detrimentum. si enim ingenua ter, vel libertina quater non peperit, immerito defraudabatur successione suorum liberorum. quid enim peccauit si non plures sed vnicos peperit? Et dedimus ius legitimum, num matribus (siue ingenuis siue libertinis) & si non ter enixæ fuerint vel quater, sed eum tantum vel eam, qui quæve morte intercepti sunt, vt sic vocentur in liberorum suorum legitimam successionem.

5 ¶ Sed cum antea constitutiones iura legitimæ successionis perscrutantes, partim matrem adiuuabant, partim eam prægrauabant, nec in solidum eum vocabant, sed in quibusdam casibus tertiam ei partem abstrahentes, certis legitimis dabant personis, in aliis autem contrarium faciebant: nobis visum est recta & simplici via matrem omnibus personis legitimis anteponi, & sine vlla deminutione filiorum suorum successionem accipere: excepta fratris & sororis persona, siue consanguinei sint, siue sola cognationis iura habentes: vt quemadmodum eam toti alij ordini legitimo præponimus, ita omnes fratres & sorores, siue legitimi sint, siue non, ad capiendas hereditates simul vocemus: ita tamen, vt si quidem solæ sorores adgnatæ vel cognatæ, & mater defuncti vel defunctæ superstint: dimidiam quidem mater, alteram vero dimidiam partem omnes sorores habeant. Si vero matre superstite & fratre, vel fratribus solis, vel etiam cum sororibus, siue legitima, siue sola cognationis iura habentibus, intestatus quis vel intestata moriatur: in capita distribuatur eius hereditas.

6 ¶ Sed quemadmodum nos matribus

prospeximus, ita eas oportet suæ soboli consulere: scituris eis, quod si tutores liberis non petierint, vel in locum remoti vel excusati, intra annum petere neglexerint: ab eorum impuberum morientium successione merito repellentur.

7 ¶ Licet autem vulgo quæsitus sit filius [illegible]: potest [tamen] ad bona eius mater ex Tertulliano senatusconsulto admitti.

DE SENATVSCONSVLTO Orphitiano.

TIT. IIII.

PEr contrarium autem liberi ad bona matrum intestatarum admittuntur ex Senatusconsulto Orphitiano, quod Orphitio & Rufo consulibus effectum est, divo Marci temporibus, & data est tam filio quam filiæ legitima hereditas etiam si alieno iuri subiecti sint: & præferuntur consanguineis & agnatis defunctæ matris.

1 ¶ Sed cum ex hoc Senatusconsulto nepotes [& neptes] ad auiæ successionem legitimo iure nó vocarentur: postea hoc constitutionibus principalibus emendatum est, vt ad similitudinem filiorum filiarumque sic nepotes & neptes vocentur.

2 ¶ Sciendum autem est huiusmodi successiones, quæ ex Tertulliano & Orphitiano senatusconsultis deferuntur, capitis deminutione non perimi, propter illam regulam, qua nouæ hereditates legitimæ capitis deminutione non pereunt, sed illæ sole, quæ ex lege duodecim tabularum deferuntur.

3 ¶ Nouissime sciendum est, etiam illos liberos, qui vulgo quæsiti sunt, ad matris hereditatem ex hoc senatusconsulto admitti.

4 ¶ Si ex pluribus legitimis heredibus quidam omiserint hereditatem, vel mortua, vel alia causa impediti fuerint, quominus adeant: reliquis, qui adierint, adcrescit illorum

rum portio: & licet ante decesserint, ad heredes tamen eorum pertinet.

DE SVCCESSIONE cognatorum.

TIT. V.

POst suos heredes, eosque, quos inter suos heredes prætor & constitutiones vocant, & post legitimos (quo numero sunt adgnati, & hi, quos in locum adgnatorum tam supradicta senatusconsulta, quàm nostra erexit constitutio) proximos cognatos prætor vocat.

1 ¶ Qua parte naturalis cognatio spectatur. nam adgnati capite deminuti, quique ex his progeniti sunt, ex lege duodecim tabularum inter legitimos non habentur, sed à prætore tertio ordine vocantur: exceptis solis tantummodo fratre & sorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos lex Anastasiana cum fratribus integri iuris constitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hereditatem, siue sororis: non æquis tamen partibus, sed cum aliqua deminutione, quam facile est ex ipsius constitutionis verbis colligere. Aliis vero adgnatis inferioris gradus licet capitis deminutionem passi non sunt, tamen anteponit eos, & proculdubio cognatis.

2 ¶ Eos etiam, qui per fœminini sexus personas ex transuerso cognatione iunguntur, tertio gradu proximitatis nomine prætor ad successionem vocat.

3 ¶ Liberi quoque, qui in adoptiua familia sunt, ad naturalium parentum hereditatem hoc eodem gradu vocantur.

4 ¶ Vulgo quæsitos, nullos habere adgnatos manifestum est: quum adgnatio à patre sit, cognatio à matre, hi autem nullum patrem habere intelligantur. Eadem ratione ne inter se quidem possunt videri consanguinei esse: quia consanguinitatis ius species est adgnationis. Tantum ergo cognati

sunt sibi, sicut & matri cognati sunt. Itaque omnibus istis [ex] ea parte competit bonorum possessio, qua proximitatis nomine cognati vocantur.

5 ¶ Hoc loco & illud necessario admonendi sumus: adgnationis quidem iure admitti aliquem ad hereditatem, etsi decimo gradu sit: siue de lege duodecim tabularum quæramus, siue de edicto, quo prætor legitimis heredibus daturum se bonorum possessionem pollicetur. Proximitatis vero nomine iis solis prætor promittit bonorum possessionem, qui vsque ad sextum gradum cognationis sunt, & ex septimo sobrino sobrinaque nato natæve.

DE GRADIBVS COGNATIONVM.

TIT. VI.

HOc loco necessarium est exponere, quemadmodũ gradus cognationis numerentur. Quare in primis admonendi sumus, cognationem aliam supra numerari, aliam infra, aliam ex transuerso; quæ etiam à latere dicitur. Superior cognatio est parentum, inferior liberorum, ex transuerso fratrum sororumve, & eorum qui quæve ex his generantur: & conuenienter patrui, amitæ, auunculi, matertera. Et superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit: at ea, quæ ex transuerso numeratur, à secundo.

1 ¶ Primo gradu est supra pater, matertera infra filius, filia.

2 ¶ Secundo [gradu] supra auus, auia: infra nepos, neptis: ex transuerso frater, soror.

3 ¶ Tertio [gradu] supra proauus, proauia: infra pronepos, proneptis: ex transuerso fratris sororisque filius, filia, & conuenienter patruus, amita, auunculus, matertera. Patruus est frater patris, qui Græce πατράδελφος appellatur. Auunculus est frater

frater matris, qui Græce μητράδελφος, dicitur, & vterque promiscue θεῖος appellatur: amita est patris soror: [quæ Græce πατράδελφη appellatur.] Matertera vero matris soror, [quæ Græce μητράδελφη dicitur,] & vtraque promiscue θεία appellatur.

4 ¶ Quarto gradu supra abauus, abauia: infra abnepos, abneptis: ex transuerso fratris sororisque nepos neptisve: & conuenienter patruus magnus, amita magna, id est, aui frater & soror, item auunculus magnus, & matertera magna, id est, auiæ frater & soror, consobrinus, consobrina, id est, qui quæve ex sororibus aut fratribus procreantur. Sed quidam recte consobrinos eos proprie dici putant, qui ex duobus sororibus progenerantur, quasi consororinos. eos vero, qui ex duobus fratribus progenerantur, proprie fratres patrueles vocari. Si autem ex duobus fratribus filiæ nascuntur, sorores patrueles appellari. At eos, qui ex fratre & sorore progenerantur amitinos proprie dici [putant]. Amitæ tuæ filij, consobrinum te appellant, tu illos amitinos.

5 ¶ Quinto [gradu] supra adauus, adauia: infra adnepos, adneptis: ex transuerso fratris sororisque pronepos, proneptis: & conuenienter propatruus, proamita, id est, proaui frater & soror: [&] proauunculus & promatertera, id est, proauiæ frater & soror. Item fratris patruelis, vel sororis patruelis, consobrini & cõsobrinæ, amicini & amitinæ filius filia. propius sobrino, propius sobrina. hi sunt patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius filia.

6 ¶ Sexto gradu supra tritauus, tritauia: infra trinepos trineptis: ex transuerso fratris sororisque abnepos, abneptis: & conuenienter abpatruus, abamita, id est, abaui

frater & soror: abauunculus, abmatertera, id est, abauiæ frater & soror. [item propatrui, proamitæ, proauunculi, promatertergilius filia. item propius sobrino sobrinave filius filia.] item sobrini, sobrinæ, id est, qui quęve ex fratribus vel sororibus patruelibus vel consobrinis vel amitinis progenerantur.

7 ¶ Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum vlteriores quoque gradus numerare debeamus: quippe semper generata persona gradum adiicit, vt longe facilius sit respondere, quoto quisque gradu sit, quam propria cognationis appellatione quemquam denotare.

8 ¶ Adgnationis quoque gradus eodem modo numerantur.

9 ¶ Sed cum magis veritas oculata fide, quam per aures animis hominum infigatur: ideo necessarium duximus post narrationem graduum, eos etiam præsenti libro inscribi, quatenus possint & auribus & oculorum inspectione adolescentes perfectissimam graduum doctrinam adipisci.

DE SERVILI COGNATIONE.

TIT. VII.

ILlud certum est, ad seruiles cognationes illam partem edicti, qua proximitatis nomine bonorum possessio promittitur, non pertinere: nam nec vlla antiqua lege talis cognatio computabatur. Sed nostra constitutione, quam pro iure patronatus fecimus (quod ius vsque ad nostra tempora satis obscurum, atque nube plenum & vndique confusum fuerat) & hoc humanitate suggerente concessimus, vt si quis in seruili constitutus consortio, liberum vel liberos habuerit, siue ex libera, siue ex seruilis conditionis muliere: vel contra ferua

mulier ex libero vel seruo habuerit liberos cuiuscumque sexus: & ad libertatem his peruenientibus, ij, qui ex seruili ventre nati sunt, libertatem meruerint, vel dum mulieres liberæ erant, ipsi in seruitute eos habuerint, & postea ad libertatem peruenerint: vt hi omnes ad successionem patris vel matris veniant, patronatus iure in hac parte sopito. Hos enim liberos non solum in suorum parentum successionem, sed etiam alterum in alterius successionem, mutuam vocauimus, ex illa lege specialiter eos vocantes: siue soli inueniantur, qui in seruitute nati, & postea manumissi sunt: siue vna cum aliis, qui post libertatem parentum concepti sunt: siue ex eodem patre, siue ex eadem matre, siue ex aliis nuptiis, ad similitudinem eorum, qui ex iustis nuptiis procreati sunt.

1 ¶ Repetitis itaque omnibus, quæ iam tradidimus, apparet non semper eos, qui parem gradum cognationis obtinent, pariter vocari. eoque amplius, ne eum quidem, qui proximior sit cognatus, semper potiorem esse. Cum enim prima causa sit suorum heredum, & eorum, quos inter suos heredes enumerauimus: apparet pronepotem vel abneporem defuncti potiorem esse, quam fratrem aut patrem matremque defuncti: cum alioqui pater quidem & mater (vt supra quoque tradidimus) primum gradum cognationis obtineant, frater vero secundum, pronepos autē tertio gradu sit cognationis, & abnepos quarto. Nec interest, an potestate morientis fuerit, an non, quod vel emancipatus, vel ex emancipato, aut ex fœmineo sexu propagatus est. Amotis quoque suis heredibus, & quos inter suos heredes vocari diximus: adgnatus qui integrum ius habet adgnationis, etiam si longissimo gradu sit, plerumque potior habetur, quam proximior cognatus. Nam patrui

nepos vel pronepos auunculo vel materteræ præfertur. Totiens igitur dicimus aut potiorem haberi eum, qui proximiorem gradum cognationis obtinet, aut pariter vocari eos, qui cognati sunt: quotiens neque suorum heredum, quique inter suos heredes sunt, neque adgnationis [iure], aliquis præferri debeat, secundum ea quæ tradidimus: exceptis fratre & sorore emancipatis, qui ad successionem fratrum vel sororum vocantur: qui etsi capite deminuti sunt, tamen præferuntur cæteris vlterioris gradus adgnatis.

DE SVCCESSIONE libertorum.

TIT. VIII.

NVnc de libertorum bonis videamus. Olim itaque licebat liberto patronum suum impune testamento præterire: nam ita demum lex duodecim tabularum ad hereditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus, herede suo nullo relicto. Itaque intestato mortuo liberto, si is suum heredem reliquisset, patrono nihil in bonis eius iuris erat. Et si quidem ex naturalibus liberis aliquem sui heredem reliquisset, nulla videbatur querela: si vero adoptiuus filius fuisset, aperte iniquum erat, nihil iuris patrono superesse.

1 ¶ Qua de causa postea prætoris edicto hæc iuris iniquitas emendata est: siue enim faciebat testamentum libertus, iubebatur ita testari, vt patrono partem dimidiam bonorum suorum relinqueret: & si aut nihil, aut minus parte dimidia reliquerat, dabatur patrono contra tabulas testamenti partis dimidiæ bonorum possessio. Siue intestatus moriebatur, suo herede relicto filio adoptiuo: dabatur æque patrono contra hunc suum heredem, partis dimidiæ bonorum possessio. Prodesse autem liber-

to

to solebant ad excludendum patronum naturales liberi, non solum quos in potestate mortis tempore habebat, sed etiam emancipati, & in adoptionem dati: si modo ex aliqua parte scripti heredes erant, aut præteriti, contra tabulas, bonorum possessionem ex edicto [prætorio] petierant. nam exheredati nullo modo repellebant patronum.

2 ¶ Postea [vero] lege Papia adaucta sunt iura patronorum, qui locupleriores libertos habebant. Cautum est enim, vt ex bonis eius, qui sestertium centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores, quam tres liberos habebat: siue is testamento facto, siue intestatus mortuus erat: virilis pars patrono deberetur. Itaque cum vnum [quidem] filium filiamve heredem reliquerat libertus: perinde pars dimidia debebatur patrono, ac si is sine vllo filio filiave intestatus decessisset. cum [vero] duos duasve heredes reliquerat, tertia pars dicebatur patrono: si tres reliquerat, repellebatur patronus.

3 ¶ Sed nostra constitutio, quam pro omni natione, Græca lingua compendiosa tractatu habito composuimus, ita huiusmodi causam definiuit: vt si quidem libertus vel liberta minores centenariis sint, id est, minus centum aureis habeant substantiam (sic enim legis Papiæ summam interpretati sumus, vt pro mille sestertiis vnus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum successione: si tamen testamentum fecerint. Sin autem intestati decesserint, nullo liberorum relicto: tunc patronatus ius (quod erat ex lege duodecim tabularum) integrum reseruauit. Cum vero maiores centenariis sint, si heredes vel bonorum possessores liberos habeant, siue vnum, siue plures, cuiuscumque sexus vel gradus: ad eos successiones parentum deduximus,

ximus, patronis omnibus modis vna cum
sua progenie semotis. Sin autem sine libe-
ris decesserint: si quidem intestati, ad om-
nem hereditatem patronos patronasque
vocauimus. si vero testamentum quidem
fecerint, patronos autem aut patronas pre-
terierint, cum nullos liberos haberent, vel
habētes eos exheredauerint, vel mater siue
auus maternus eos præterierint, ita quod
non possint argui inofficiosa eorum testa-
menta: tunc ex nostra constitutione per bo-
norum possessionem contra tabulas non di-
midiam (vt antea) sed tertiam partem bo-
norum liberti consequantur: vel quod de-
est, eis ex constitutione nostra repleatur, si
quando minus tertia parte bonorum suo-
rum libertus vel liberta eis reliquerit: ita
sine onere, vt nec liberis liberti libertæve
ex ea parte legata vel fideicommissa præ-
stentur, sed ad coheredes eorum hoc onus
redundet: multis aliis casibus à nobis in
præfata constitutione congregatis, quos ne-
cessarios esse ad huiusmodi dispositionem
iuris perspeximus, vt tam patroni patronæ-
que, quam liberi eorum, necnō qui ex transuerso latere veniunt, vsque ad quintum gradum ad successionem libertorum libertarumve vocentur, sicut ex ea constitutione intelligendum est: & si eiusdem patroni vel patronæ, vel duorum duarumque pluriumve liberi sint: qui proximior est, ad liberti vel libertæ vocetur successionem, & in capita non in stirpes diuidatur successio: eodem modo & in iis, qui ex transuerso latere veniunt, seruando. Pene enim consonantiæ iura ingenuitatis & libertinitatis in succes-
cessionibus fecimus.

4 ¶ Sed hæc de iis libertinis hodie dicenda sunt, qui in ciuitatem Romanam peruenerunt: cum nec sint alij liberti, simul & Dediticiis & Latinis sublatis, cum Latinorum legitimæ successiones nullæ penitus
eraant,

erant, quia licet vt liberi vitam suam peragebant, attamen ipso vltimo spiritu simul animam atque libertatem amittebant, & quasi seruorum bona eorum iure quodammodo peculij ex lege Iunia [Norbana] manumissores detinebant. Postea vero senatusconsulto Largiano cautum fuerat, vt liberi manumissoris non nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur. Quibus etiam superuenit diui Traiani edictum, quod eundem hominem, si inuito vel ignorante patrono ad ciuitatem Romanam venire ex beneficio principis festinarat, faciebat qui dem viuum ciuem Romanum, Latinum vero morientem. Sed nostra constitutione propter huiusmodi conditionum vices, & alias difficultates, cum ipsis Latinis etiam legem Iuniam, & senatusconsultum Largianum, & edictum diui Traiani, in perpetuum deleri censuimus: vt omnes liberti ciuitate Romana fruantur, & mirabili modo quibusdam adiectionibus ipsas vias, quæ in Latinitatem ducebant, ad ciuitatem Romanam capiendam transposuimus.

DE ADSIGNATIONE LIBERtorum.

TIT. IX.

IN summa (quod ad bona libertorum [attinet]) admonendi sumus censuisse senatum, vt quamuis ad omnes patroni liberos, qui eiusdem gradus sunt, æqualiter bona libertorum pertineant: tamen licere parenti, vni ex liberis adsignare libertum, vt post mortem eius solus is patronus habeatur, cui adsignatus est: & cæteri liberi, qui ipsi quoque ad eadem bona, nulla adsignatione interueniente pariter admitterentur, nihil iuris in his bonis habeant: sed ita demum pristinum ius recipiant, si is, cui adsignatus est, decesserit nullis liberis relictis,

¶ Nec

1 ¶ Nec tantum libertum, sed etiam libertam, & non tantum filio, nepotive, sed etiam filiæ neptive adsignare permittitur.

2 ¶ Datur autem hæc adsignandi facultas ei, qui duos pluresve liberos in potestate habebit, vt eis, quos in potestate habet, adsignare libertum libertamve liceat. Vnde quærebatur, si eum, cui adsignauit, postea emancipauerit: num euanescat adsignatio? Sed placuit euanescere, quod & Iuliano & aliis plerisque visum est.

3 ¶ Nec interest, [an] testamento quis adsignet, an sine testamento, sed etiam quibuscunque verbis patronis hoc permittitur facere ex Senatusconsulto, quod Claudianis temporibus factum est, Sabellio Rufo & Asterio Scapula consulibus.

DE BONORVM POSSESSIONIBUS.

TIT. X.

IVs bonorum possessionis introductum est à prætore emendandi veteris iuris gratia. Nec solum in intestatorum hereditatibus vetus ius eo modo prætor emendauit, sicut supra dictum est: sed in eorum quoque qui testamento facto decesserint. Nam si alienus posthumus heres fuerit institutus: quamuis hereditatem iure ciuili adire non poterat, cum institutio nō valebat: honorario tamen iure bonorum possessor efficiebatur, videlicet cum à prætore adiuuabatur. sed & is à nostra constitutione hodie recte heres instituitur, quasi & iure ciuili non incognitus. Aliquando tamen, neque emendandi, neque impugnandi veteris iuris, sed magis confirmandi gratia [prætor] pollicetur bonorum possessionem. Nam illis quoque, qui recte testamento facto heredes instituti sunt, dat secundum tabulas bonorum possessionem. Item ab intestato suos heredes, & adgnatos ad bonorum possessionem vocat. Sed & remota quoque bonorum possessione, ad eos pertinet

pertinet hereditas iure ciuili.

2 ¶ Quos autem solus vocat prætor ad hereditatem, heredes quidem ipso iure non fiunt, nam prætor heredem facere non potest. per legem enim tantum, vel similem iuris constitutionem heredes fiunt, veluti per senatusconsulta, & constitutiones principales: sed cum eis prætor dat bonorum possessionem, loco heredum constituuntur, & vocantur bonorum possessores. Adhuc autem & alios complures gradus prætor fecit in bonorum possessionibus dandis, dum id agebat, ne quis sine successore moreretur. Nam angustissimis finibus constitutum per legem duodecim tabularum ius percipiendarum hereditatum, prætor ex bono & æquo dilatauit.

3 ¶ Sunt autem bonorum possessiones ex testamento quidem hæ. Prima, quæ præteritis liberis datur, vocaturque *contra tabulas*. Secunda quam omnibus iure scriptis heredibus prætor pollicetur, ideoque vocatur *secundum tabulas*. Et cum de testamentis prius locutus est, ad intestatos transitum fecit. Et primo loco suis heredibus, & iis, qui ex edicto prætoris inter suos heredes connumerantur, dat bonorum possessionem, quæ vocatur *unde liberi*. Secundo, legitimis heredibus. Tertio, decem personis, quas extraneo manumissori præferebat. sunt autem decem personæ hæ: pater, mater, auus, auia, tam paterni, quam materni: item filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio, quam ex filia: frater, sororve, consanguinei, vel uterini. Quarto, cognatis proximis. Quinto, *tanquam ex familia*. Sexto patrono patronæque, liberisque eorum, & parentibus. Septimo, viro & uxori. Octauo, cognatis manumissoris.

4 ¶ Sed eas quidem prætoria introduxit iurisdictio: à nobis tamen nihil incuriosum prætermissum est, sed nostris constitutionibus omnia corrigentes, contra tabulas quidem

dem & secundum tabulas bonorum possessiones admisimus, vtpote necessarias constitutas: nec non ab intestato *vnde liberi & vnde legitimi* bonorum possessiones. Quæ autem in prætoris edicto quinto loco posita fuerat, id est, *vnde decem personæ*, eam pio proposito, & compendioso sermone superuacuam ostendimus. Cum enim præfata bonorum possessio decem personas præponebat extraneo manumissori: nostra constitutio, quæ de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus, eisdemque manumissoribus contracta fiducia manumissionem facere dedit: vt ipsa manumissio eorum hoc in se habeat priuilegium, & superuacua fiat supradicta bonorum possessio. Sublata igitur prædicta quinta bonorum possessione, in gradum eius sextã antea bonorum possessionem induximus: & quintam fecimus, quam prætor proximis cognatis pollicetur. Cumque antea fuerat septimo loco bonorũ possessio *tanquam ex familia*, & octauo *vnde patroni patronæque & parentes eorum*: vtramque per constitutionem nostram, quam de iure patronatus fecimus, penitus euacuauimus. Cum enim ad similitudinem successionis ingenuorum, libertinorum successiones posuimus, quas vsque ad quintum gradũ tantummodo coarctauimus, vt sit aliqua inter ingenuos & libertinos differentia: sufficit eis tam contra tabulas bonorũ possessio, quam *vnde legitimi*, & *vnde cognati*, ex quibus possunt sua iura vindicare, omni scrupulositate & inextricabili errore istarum duarum bonorum possessionum resoluta. Aliam vero bonorum possessionem, quæ *vnde vir & vxor* appellatur, & nono loco inter veteres bonorum possessiones posita fuerat, & in suo vigore seruauimus, & altiore loco, id est, sexto eam posuimus: decima quoque bonorum possessione, quæ erat *vnde cognati manumissoris*, propter causas enumeratas merito sublata

sublata: vt sex tantummodo bonorum possessiones ordinariæ permaneant, suo vigore pollentes. Septima eas secuta, quam optima ratione prætores introduxerunt. Nouissime enim promittitur edicto iis etiam bonorum possessio, quibus vt detur, lege, vel senatusconsulto, vel constitutione comprehensum est: quam neque bonorum possessionibus, quæ ab intestato veniunt, neque iis quæ ex testamento sunt, prætor stabili iure connumerauit: sed quasi vltimum & extraordinarium auxilium (prout res exegit) accommodauit, scilicet iis, qui ex legibus, senatusconsultis, constitutionibusve principum ex nouo iure, vel ex testamento, vel ab intestato veniunt. Cum igitur plures species successionum prætor introduxisset, easque per ordinem disposuisset: & in vnaquaque specie successionis sæpe plures extstent dispari gradu personæ: ne actiones creditorum differrentur, sed haberent, quos conuenirent, & ne facile in possessionem bonorum defuncti mitterentur, & eo modo sibi consulerens: ideo petendæ bonorum possessioni certum tempus præfiniuit. Liberis itaque & parentibus, tam naturalibus, quam adoptiuis in petenda bonorum possessione anni spatium, cæteris [autem] adgnatis, vel cognatis, cetum dierum dedit.

5 ¶ Et si intra hoc tempus aliquis bonorum possessionem non petierit: eiusdem gradus personis adcrescit: vel si nullus sit, deinceps cæteris bonorum possessionem perinde ex successorio edicto pollicetur, ac si is, qui præcedebat, ex eo numero non esset. Si quis itaque delatam sibi bonorum possessionem repudiauerit, non quousque tempus bonorū possessioni præfinitum excesserit, expectatur: sed statim cæteri ex eodem edicto admittuntur. In petenda autem bonorum possessione dies vtiles singuli considerantur.

6 ¶ Sed

6 ¶ Sed bene anteriores principes & huic causæ prouiderunt, ne quis pro perenda bonorum possessione curet: sed quocumque modo admittentis eam iudicium (intra statuta tamen tempora) ostenderit, plenum habeat earum beneficium.

DE ADQVISITIONE PER adrogationem.

TIT. XI.

EST & alterius generis per vniuersitatem successio, quæ neque lege duodecim tabularum, neque prætoris edicto, sed eo iure, quod consensu receptum est, introducta est.

1 ¶ Ecce enim cum paterfamilias sese in adrogationem dat, omnes res eius corporales & incorporales, quæque ei debitæ sunt, adrogatori antea quidem pleno iure adquirebantur: exceptis iis, quæ per capitis deminutionem pereunt, quales sunt operarum obligationes, & ius adgnationis. Vsus etenim & vsusfructus, licet his antea connumerabantur, attamen capitis deminutione minima eos tolli prohibuit nostra constitutio.

2 ¶ Nunc autem nos eandem adquisitionē, quæ per adrogationē fiebat, coarctauimus ad similitudinē naturalium parentū. Nihil enim aliud, nisi tantummodo vsusfructus tam naturalibus parentibus quam adoptiuis per filios familiarum adquiritur in iis rebus, quæ extrinsecus filiis obueniunt, dominio eis integro seruato. Mortuo autem filio adrogato in adoptiua familia etiam dominium [rerum] eius ad adrogatorem pertransit: nisi superstint aliæ personæ, quæ ex constitutione nostra patrem in iis, quæ adquiri non possunt, antecedant.

3 ¶ Sed ex diuerso, pro eo quod is debuit, qui se in adoptionem dedit, ipso quidem iure adrogator non tenetur, sed nomine

ne filij conuenitur: & si noluerit eum defendere, permittere creditoribus per competentes nostros magistratus bona, quæ eius cum vsufructu futura fuissent, si se alieno iuri non subiecisset, possidere, & legitimo modo ea disponere.

DE EO CVI LIBERTATIS causa bona addicuntur.

TIT. XII.

ACcessit nouus casus successionis ex constitutione diui Marci. Nam si ij, qui libertatem acceperunt à domino in testamento, ex quo non aditur hereditas, velint bona sibi addici libertatum conseruandarum causa: audiuntur.

1 ¶ Et ita diui Marci rescripto ad Pompilium Rufum continetur. verba rescripti ita se habent: Si Verginio Valenti, qui testamento suo libertatem quibusdam adscripsit, nemine successore ab intestato existente, in ea causa bona [eius] esse cœperūt, vt venire debeant: is, cuius de ea re notio est, aditus rationem desiderij tui habebit, vt libertatum tam earum, quæ directo, quam earum, quæ per speciem fideicommissi relictæ sunt, tuendarum gratia addicantur tibi: si idonee creditoribus caueris de solido, quod cuique debetur, soluendo. Et ij quidem, quibus directa libertas data est, perinde liberi erunt, ac si hereditas adita esset. Ij autem, quos heres manumittere rogatus est, à te libertatem consequentur: ita, vt si non alia conditione velis tibi bona addici, quam vt [ij] etiam, qui directo libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic etiam voluntati tuæ, si ij, quorum de statu agitur, consentiant, auctoritatem nostram accommodamus. Et ne huius rescriptionis nostræ emolumentum alia ratione irritum fiat: si fiscus bona agnoscere voluerit, & ij, qui rebus nostris attendunt, sciant commodo pecuniario præferendam esse libertatis causam

sam: & ita bona cogenda, vt libertas iis salua sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hereditas ex testamento adita esset.

2 ¶ Hoc rescripto subuentum est & libertatibus, & defunctis, ne bona eorum à creditoribus possideantur & veniant. Certe si fuerint hæc causa bona addicta: cessat bonorum venditio. existit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solido creditoribus cauet.

3 ¶ In primis hoc rescriptum totiens locum habet, quotiens testamento libertates datæ sunt. Quid ergo si quis intestatus decedens, codicillis libertates dederit, neque adita sit ab intestato hereditas: [an] fauor constitutionis debebit locum habere? Certe si intestatus decesserit, & codicillis dederit libertatem: competere eam, nemini dubium est.

4 ¶ Tunc [enim] constitutioni locum esse verba ostendunt, cum nemo successor ab intestato existat. Ergo quamdiu incertum erit, vtrum existat, an non: cessabit constitutio. Si vero certum esse cœperit, neminē existere: tunc erit constitutioni locus.

5 ¶ Si is, qui in integrum restitui potest, abstinuerit hereditate: an quāuis possit in integrum restitui, possit admitti constitutio, & bonorum addictio fieri? Quid ergo si post addictionem libertatum conseruandarum causa factam in integrum sit restitutus? vtique non erit dicendum reuocari libertates: quia semel competierunt.

6 ¶ Hæc constitutio libertatum tuendarum causa introducta est. Ergo si libertates nullæ sunt datæ: cessat [hæc] constitutio. Quid ergo si viuus dederit libertates, vel mortis causa; & ne de hoc quæratur, vtrum in fraudem creditorum, an non factum sit, idcirco velint sibi addici bona: an audiendi sint? Et magis est, vt au

audiri debeant, etsi deficiant verba constitutionis.

7 ¶. Sed cum multas diuisiones eiusmodi constitutioni deesse perspeximus, lata est à nobis plenissima constitutio, in qua multæ species collatæ sunt, quibus ius huiusmodi successionis plenissimum est effectũ, quas ex ipsius lectione constitutionis potest quis cognoscere.

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex senatusconsulto Claudiano.

TIT. XIII.

FRant ante prædictam successionẽ olim & aliæ per vniuersitatem successiones, qualis fuerat bonorum emptio, quæ de bonis debitoris vendendis per multas ambages fuerat introducta, & tunc locum habebat, quando iudicia ordinaria in vsu fuerant. sed cum extraordinariis iudiciis posteritas vsa est: ideo cum ipsis ordinariis iudiciis etiam bonorum venditiones expirauerunt, & tantummodo creditoribus datur officio iudicis bona possidere, & prout vtile eis visum est, ea disponere, quod ex latioribus Digestorum libris perfectius apparebit.

1 ¶ Erat & ex senatusconsulto Claudiano miserabilis per vniuersitatem adquisitio: cum libera mulier seruili amore bacchata ipsam libertatem per senatusconsultum amittebat, & cum libertate substantiam. quod indignum nostris temporibus esse existimantes, & à nostra ciuitate deleri, & non inseri nostris Digestis concessimus.

DE OBLIGATIONIBVS.

TIT. XIV.

NVnc transeamus ad obligationes. Obligatio est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei solue-

dæ secundum nostræ ciuitatis iura.

1 ¶ Omnium autem obligationum summa diuisio in duo genera deducitur. namque aut ciuiles sunt, aut prætoriæ. Ciuiles sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo iure ciuili comprobatæ sunt. Prætoriæ sunt, quas prætor ex sua iurisdictione constituit, quæ etiam honorariæ vocantur.

2 ¶ Sequens diuisio in quatuor species diuiditur. Aut enim ex contractu sunt, aut quasi ex contractu, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Prius est, vt de iis, quæ ex contractu sunt, dispiciamus. Harum æque quatuor sunt species. Aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu. de quibus singulis dispiciamus.

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITVR OBLIGATIO.

TIT. XV.

RE contrahitur obligatio, [veluti] mutui datione. Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensura constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata: ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in hoc damus, vt accipientium fiant. Et quoniam nobis non eædem res, sed aliæ eiusdē naturæ & qualitatis reddūtur: inde etiam mutuum appellarum est, quia ita à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat: & ex eo contractu nascitur actio quæ vocatur condictio.

1 ¶ Is quoque, qui non debitum accepit ab eo, qui per errorem soluit, re obligatur: daturque agenti contra eum propter repetitionem condictitia actio. Nam perinde ei condici potest, si apparet eum dare oportere, ac si mutuum accepisset. Vnde pupillus, si ei sine tutoris auctoritate indebitum per errorem datum est, non tenebitur indebiti condictione: non magis, quam mutui datione. Sed hæc species obligatio-

nis

nis non videtur ex contractu consistere: cùm is, qui soluendi animo dat, magis voluerit negotium distrahere, quam contrahere.

2 ¶ Item is, cui res aliqua vtenda datur, id est, commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione. Sed is, ab eo, qui mutuum accepit, longè distat. namque non ita res datur, vt eius fiat, & ob id de ea re ipsa restituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, si quolibet fortuito casu amiserit, quod accepit: veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hostiumve incursu: nihilominus obligatus remanet. At is, qui vtendum accepit, sane quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare iubetur: nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est; si modo alius diligentior poterat eam rem custodire: sed propter maiorem vim maioresve casus non tenetur, si modo non ipsius culpa is casus interuenit. alioqui si id, quod tibi commodatum est domi, peregre tecum ferre malueris, & vel incursu hostium prædonumve, vel naufragio amiseris: dubium non est, quin de restituenda ea re tenearis. Commodata autem res tũc proprie intelligitur, si nulla mercede accepta vel constituta, [res] tibi vtẽda data est. alioqui mercede interueniente, locatus tibi vsus rei videtur: gratuitum enim debet esse commodatum.

3 ¶ Præterea & is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, tenetúrque actione depositi: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit, culpæ autem nomine, id est, desidiæ ac negligentiæ, non tenetur. Itaque securus est, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit: quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit [non ei] sed suæ facilitati

id imputare debet.

4 ¶ Creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus vtriusque gratia datur, & debitoris, quo magis pecunia ei credatur, & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum: placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhibeat; quam si præstiterit: & aliquo fortuito casu rem amiserit: securum esse, nec impediri creditum petere.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBUS.

TIT. XVI.

VErbis obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione, cum quid dari fierive nobis stipulamur. ex qua duæ proficiscuntur actiones, tam condictio certi, si certa sit stipulatio: quam ex stipulatu, si incerta sit. quæ hoc nomine inde vtitur, quod stipulum apud veteres firmum appellabatur, forte à stipite descendens.

1 ¶ In hac re olim talia verba tradita fuerunt. *Spondes? spondeo. Promittis? promitto. [Fidepromittis? fidepromitto.] Fideiubes? fideiubeo. Dabis? dabo. Facies? faciam.* Vtrum autem Latina, an Græca, vel qualibet alia lingua stipulatio concipiatur, nihil interest: scilicet si vterque stipulantium intellectum eius linguæ habeat: nec necesse est eadem lingua vtrumque vti, sed sufficit congruenter ad interrogata respondere. Quinetiam duo Græci Latina lingua obligationem contrahere possunt. Sed hæc solennia verba olim quidem in vsu fuerunt: postea autem Leonina constitutio lata est, quæ solennitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectum ab vtraque parte solum desiderat, quibuscumque tandem verbis expressum est.

2 ¶ Omnis stipulatio aut pure, aut in diem

diem aut sub conditione fit. Pure, veluti, *quinque aureos dare spondes?* Idque confestim peti potest. In diem, cum adiecto die, quo pecunia soluatur, stipulatio fit: veluti, *decem aureos primis calendis Martiis dare spondes?* Id autem quod in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti prius, quam dies venerit, non potest; at ne eo quidem ipso die, in quem stipulatio facta est, peti potest: quia totus is dies arbitrio soluentis tribui debet. Neque enim certum est eo die, in quem promissum est, datum non esse, prius quam is præterierit.

3 ¶ At si ita stipuleris, *decem aureos annuos, quoad viuam, dare spondes?* & pure facta obligatio intelligitur, & perpetuatur: quia ad tempus non potest deberi: sed heres petendo, pacti exceptione submouebitur.

4 ¶ Sub conditione stipulatio fit, cum in aliquem casum differtur obligatio: vt si aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur stipulatio. veluti, *Si Titius consul fuerit factus, quinque aureos dare spondes?* Si quis ita stipuletur, *si in capitolium non ascendero, dare spondes?* perinde erit ac si stipulatus esset, cum moreretur, sibi dari. Ex conditionali stipulatione tantum spes est debitum iri: eamque ipsam spem in heredem transmittimus, si prius quam conditio exstet, mors nobis contigerit.

5 ¶ Loca etiam inseri stipulationi solent: veluti, *Carthagini dare spondes?* Quæ stipulatio licet pure fieri videtur, tamen re ipsa habet tempus adiectum, quo promissor vtatur ad pecuniam Carthagini dandam. Et ideo si quis Romæ ita stipuletur, *hodie Carthagini dare spondes?* inutilis erit stipulatio, cum impossibilis sit repromissio.

6 ¶ Conditiones, quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt, veluti, *Si Titius Consul fuit*, vel, si

Mœuius vivit dare spondes? Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio: sin autem ita se habent, statim valet. Quæ enim per rerum naturam sunt certa: non morātur obligationem, licet apud nos incerta sint.

7 ¶ Non solum res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta: vt si stipulemur aliquid fieri, vel non fieri. & in huiusmodi stipulationibus optimum erit pœnam subiicere, ne quantitas stipulationis in incerto sit, ac necesse sit actori probare, quod eius interfit. Itaque si quis, vt fiat aliquid, stipuletur: ita adiici pœna debet, *Si ita factum non erit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes?* Sed si quædam fieri, quædam non fieri, vna eademque conceptione stipuletur quis: clausula huiusmodi erit adiicienda, *Si aduersus ea factum erit: fiue quid ita factum non fuerit: tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes?*

DE DVOBVS REIS STIPVlandi & promittendi.

TIT. XVII.

Et stipulandi & promittendi duo pluresve rei fieri possunt. Stipulandi ita, si post omnium interrogationem promissor respondeat, *Spondeo*: vtputa cum duobus separatim stipulantibus ita promissor respondeat, *Utrique vestrum dare spondeo.* Nam si prius Titio spoponderit, deinde alio interroganti spondeat, alia atque alia erit obligatio, nec creduntur duo rei stipulandi esse. Duo pluresve rei promittendi ita fiūt: *Mæui decem aureos dare spondes? & Sei eosdem decem aureos dare spondes?* [si] respondeant singuli separatim, spondeo.

1 ¶ Ex huiusmodi obligationibus & stipulationibus solidū singulis debetur, & promittentes singuli in solidum tenentur. In vtraque tamen obligatione vna res vertitur: & vel alter debitum accipiendo, vel alter soluendo, omnium perimit obligationem, & omnes liberat.

2 ¶ Ex

2 ¶ Ex duobus reis promittendi: alius pure, alius in diem, vel sub conditione obligari potest, nec impedimento erit dies aut conditio, quo minus ab eo, qui pure obligatus est, petatur.

DE STIPVLATIONE seruorum.

TIT. XVIII.

SErvus ex persona domini ius stipulandi habet. Sed & hereditas in plerisque personæ defuncti vicem sustinet. ideoque quod seruus hereditarius ante aditam hereditatem stipulatur, adquirit hereditati: ac per hoc etiam heredi postea facto adquiritur.

1 ¶ Siue autem domino, siue sibi, siue conseruo suo, siue impersonaliter seruus stipuletur: domino adquirit. Idem iuris est & in liberis, qui in potestate patris sunt, ex quibus causis adquirere possunt.

2 ¶ Sed cum factum in stipulatione continebitur: omni modo persona stipulantis continetur: veluti si seruus stipuletur, vt sibi ire agere liceat. ipse enim tantum prohiberi non debet, non etiam dominus eius.

3 ¶ Seruus communis stipulando, vnicuique dominorum pro portione dominij adquirit: nisi iussu vnius eorum, aut nominatim alicui eorum stipulatus est. tunc enim soli ei adquiritur. Quod seruus communis stipulatur, si alteri ex dominis adquiri non potest: solidum alteri adquiritur, veluti si res, quæ dari stipulatus est, vnius domini sit.

DE DIVISIONE STIPVLATIONUM.

TIT. XIX.

STipulationum aliæ [sunt] iudiciales, aliæ prætoriæ, aliæ conuentionales, aliæ cõmunes, tam prætoriæ, quam iudiciales.

1 ¶ Iudiciales sunt duntaxat, quæ à mero iudicis officio proficiscuntur: veluti de dolo cautio, [vel de persequendo seruo, qui in

fuga est: restituendove pretio.]

2 ¶ Prætoriæ [sunt,] quæ à mero prætoris officio proficiscuntur, veluti damni infecti, [vel legatorum.] Prætorias autem stipulationes sic exaudiri oportet, vt in his etiam contineantur ædilitiæ, nam & hæ à iurisdictione [prætoris] veniunt.

3 ¶ Conuentionales sunt, quæ ex conuentione vtriusque partis concipiuntur:] hoc est, neque iussu iudicis, neque iussu prætoris, sed ex conuentione contrahentium,] quarum totidem genera sunt, quot (pene dixerim) rerum contrahendarum.

4 ¶ Communes sunt, veluti rem saluam fore pupillo: (nam & Prætor iubet rem saluam fore pupillo caueri: & interdum iudex, si aliter hæc res expediri non potest:) vel de rato stipulatio.

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS.

TIT. XX.

OMnis res, quæ dominio nostro subiicitur, in stipulationem deduci potest: siue mobilis sit, siue soli.

1 ¶ At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat: aut hippocentaurum, qui esse non possit: inutilis erit stipulatio.

2 ¶ Idem iuris est, si rem sacram aut religiosam, quam humani iuris esse credebat: vel rem publicam, quæ vsibus populi perpetuo exposita sit, vt forum, vel theatrum: vel liberum hominem, quem seruum esse credebat, vel cuius commercium non habuerit: vel rem suam dari quis stipuletur. Nec impendenti erit stipulatio ob id, quod publica res in priuatum deduci, & ex libero seruus fieri potest, & commercium adipisci stipulator potest, & res [sua] stipulatoris esse desinere potest: sed protinus inutilis est. Item contra: licet initio vtiliter res in stipulatum

deducta

deducta sit: si [tamen] postea in aliquam eorum causam, de quibus supra dictum est, sine facto promissoris deuenerit, extinguitur stipulatio. At nec statim ab initio talis stipulatio valebit, *Lucium Titium, cum seruus erit, dare spondes?* & similia. quæ enim natura sui dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt.

3 ¶ Si quis alium daturũ facturumve quid promiserit: non obligabitur, veluti si spondeat Titium quinque aureos daturum. Quod si effecturum se, vt Titius daret, spoponderit, obligatur.

4 ¶ Si quis alij, quam ei, cuius iuri subiectus sit, stipuletur: nihil agit. Plane solutio etiam in extraneam personam conferri potest: veluti si quis ita stipuletur, *Mihi aut Seio dare spondes?* vt obligatio quidem stipulatori adquiratur, solui tamen Seio, etiam inuito eo, recte possit, vt liberatio ipso iure contingat, sed ille aduersus Seium habeat mandati actionem. Quod si quis sibi, & alij, cuius iuri subiectus non sit, dari decem aureos stipulatus est: valet quidẽ stipulatio: sed vtrum totum debeatur [stipulatori,] quod in stipulationem deductum est, an vero pars dimidia: dubitatum est: sed placuit, nõ plus quam dimidiam partem ei adquiri. Ei [vero,] qui iuri tuo subiectus est, si stipulatus sis, tibi adquiris: quia vox tua, tãquam filij sit, sicuti & filij vox, tanquam tua intelligitur in iis rebus, quæ tibi adquiri possunt.

5 ¶ Præterea inutilis est stipulatio, si [quis] ad ea, quæ interrogatus fuerit, non respondeat: veluti si quis decem aureos à te dari stipuletur, tu quinque promittas, vel contra: aut si ille pure stipuletur, tu sub conditione promittas: vel contra: si modo scilicet id exprimas, id est, si cui sub conditione vel in diem stipulanti, tu respondeas, *præsenti die spondeo.* Nam si hoc solum respondeas, *promitto*: breuiter videris in eandem diem vel conditionem

ditionem spopondisse. Neque enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit.

6 ¶ Item inutilis est stipulatio, si vel ab eo stipuleris, qui tuo iuri subiectus est, vel si is à te stipuletur. Sed seruus quidem non solum domino suo obligari non potest, sed ne quidem vlli alij. filij vero familiarum aliis obligari possunt.

7 ¶ Mutum neque stipulari, neque promittere posse palam est. quod & in surdo receptum est: quia & is, qui stipulatur, verba promittentis, & is, qui promittit, verba stipulantis audire debet: vnde apparet non de eo nos loqui, qui tardius exaudit: sed de eo, qui omnino non audit.

8 ¶ Furiosus nullum negotium gerere potest: quia non intelligit, quod agit.

9 ¶ Pupillus omne negotium recte gerit: ita tamen, vt vbi tutoris autoritas necessaria sit, adhibeatur tutor: veluti si ipse obligetur. nam alium sibi obligare etiam sine tutoris auctoritate potest.

10 ¶ Sed quod diximus de pupillis, vtique de iis verum est, qui iam habent aliquem intellectum. nam infans, & qui infantiæ proximus est, non multum à furioso distat: quia huiusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum. Sed in proximis infantiæ, propter vtilitatem eorum, benignior iuris interpretatio facta est: vt idem iuris habeant, quod pubertati proximi. Sed qui in potestate parentis est impubes, ne auctore quidem patre obligatur.

11 ¶ Si impossibilis conditio obligationibus adiiciatur: nihil valet stipulatio. Impossibilis autem conditio habetur, cui natura impedimento est, quo minus existat: veluti si quis ita dixerit, *si digito cœlum attigero, dare spondes?* At si ita stipuletur, *si digito cœlum non attigero, dare spondes?* pure facta obligatio intelligitur, ideoque statim peti potest.

12 ¶ Item

12 ¶ Item verborum obligatio inter absentes concepta, inutilis est. Sed cum hoc materiam litium contentiosis hominibus præstabat, forte post tempus tales allegationes opponentibus, & non præsentes fuisse, vel se vel aduersarios suos, contendentibus: ideo nostra constitutio propter celeritatem dirimendarum litium introducta est, quam ad Cæsarienses aduocatos scripsimus: per quam disposuimus, tales scripturas, quæ præsto esse partes indicant, omnino esse credendas, nisi is, qui talibus vtitur improbis allegationibus, manifestissimis probationibus vel per scripturam, vel per testes idoneos adprobauerit, toto eo die quo confitiebatur instrumentum, sese vel aduersarium suum in aliis locis fuisse.

13 ¶ Post mortem suam dari sibi nemo stipulari poterat: non magis, quam post eius mortem, à quo stipulabatur. Ac nec is, qui in alicuius potestate est, post mortem eius stipulari poterat: quia patris vel domini voce loqui videretur. Sed & si quis ita stipuletur, *Pridie quam moriar*, vel *pridie quam morieris*, *dare spondes?* inutilis erat stipulatio. Sed cum (vt iam dictum est) ex consensu contrahentium stipulationes valeant: placuit nobis etiam in hunc iuris articulum necessariam inducere emendationem: vt siue post mortem, siue pridie quam moriatur stipulator, siue promissor, stipulatio concepta sit: stipulatio valeat.

14 ¶ Item si quis ita stipulatus erat, *Si nauis ex Asia venerit, hodie dare spondes?* inutilis erat stipulatio, quia præpostere concepta est. Sed quum Leo inclytæ recordationis, in dotibus eandem stipulationē, quæ præpostera nuncupatur, non esse reiiciendam existimauerit: nobis placuit, & huic perfectum robur accommodare, vt non solum in dotibus, sed etiam in omnibus valeat huiusmodi conceptio stipulationis.

15 ¶ Ita autem stipulatio concepta, veluti si Titius dicat, *cum morior, dare spondes?* vel *cum morieris?* & apud veteres vtilis erat, & nunc valet.

16 ¶ Item post mortem alterius recte stipulamur.

17 ¶ Si scriptum in instrumento fuerit, promisisse aliquem: perinde habetur, atque si interrogatione præcedēte respōsum sit.

18 ¶ Quotiens plures res vna stipulatione comprehēdūtur, si quidem promissor simpliciter respondeat, *dare spondeo*: propter omnes tenetur. Si vero vnā ex his, vel quasdam daturum se spoponderit: obligatio in iis, pro quibus spoponderit, contrahitur. Ex pluribus enim stipulationibus, vna, vel quædam videntur esse perfectæ. singulas enim res stipulari, & ad singulas respondere debemus.

19 ¶ Alteri stipulari (vt supra dictum est) nemo potest. Inuentæ enim sunt huiusmodi [stipulationes vel] obligationes ad hoc, vt vnusquisque adquirat sibi, quod sua interest: cæterum si alij detur, nihil interest stipulatoris. Plane si quis velit hoc facere, pœnam stipulari conueniet: vt nisi ita factum sit, vt est comprehensum, committatur pœna stipulatio etiam ei, cuius nihil interest. Pœnam enim cum stipulatur quis, non illud inspicitur, quod interfit eius, sed quæ sit quantitas in conditione stipulationis. Ergo si quis [ita] stipuletur, *Titio dari*, nihil agit. Sed si adiecerit pœnam, *nisi dederis, tot aureos dare spondes?* tunc committitur stipulatio.

20 ¶ Sed [&] si quis stipuletur alij, cum eius interesset, placuit stipulationē valere. Nam si is, qui pupilli tutelam administrare cœperat, cesserit administratione contutori suo, & stipuletur rem pupilli saluam fore, quoniam interest stipulatoris fieri, quod stipulatus est (cum obligatus futurus sit pupillo, si male res gesserit) tenet obligatio.

Ergo

Ergo etsi quis procuratori suo dari stipulatus sit: habebit vires stipulatio. Et si creditori suo [quis stipulatus sit:] quod sua interest, ne forte vel pœna committatur, vel prædia distrahantur, quæ pignori data erant: valet stipulatio.

21 ¶ Versa vice, qui alium facturum promisit, videtur in ea esse causa, vt non teneatur, nisi pœnam ipse promiserit.

22 ¶ Item nemo rem suam futurã, in eum casum, quo sua sit, vtiliter stipulatur.

23 ¶ Si de alia re stipulator senserit, de alia promissor: perinde nulla contrahitur obligatio, ac si ad interrogatum responsum non esset: veluti si hominem Stichum à te quis stipulatus fuerit, tu de Pamphilo senseris, quem Stichum vocari credideris.

24 ¶ Quod turpi ex causa promissum est: veluti si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat: non valet.

25 ¶ Cum quis sub aliqua conditione stipulatus fuerit: licet ante conditionem decesserit: postea existente conditione heres eius agere potest. Idem est & ex promissoris parte.

26 ¶ Qui hoc anno, aut hoc mense dari stipulatus est nisi omnibus partibus anni vel mensis præteritis, non recte petet.

27 ¶ Si fundum dari stipuleris, vel hominem: non poteris continuo agere: nisi tantum spatium præterierit, quo traditio fieri possit.

DE FIDEIVSSORIBVS. TIT. XXI.

PRo eo qui promittit, solent alij obligari, qui fideiussores appellantur: quos homines accipere solent, dum curant, vt diligentius sibi cautum sit.

1 ¶ In omnibus autem obligationibus adiumi possunt: id est, siue re, siue verbis, siue iteris, siue consensu contractæ fuerint. At ec illud quidem interest, vtrum ciuilis, an

naturalis

naturalis sit obligatio, cui adiicitur fideiussor: adeo quidem, vt pro seruo quoque obligetur, siue extraneus sit, qui fideiussorem a seruo accipiat, siue ipse dominus in id, quod sibi naturaliter debetur.

2 ¶ Fideiussor non tantum ipse obligatur, sed etiam heredem relinquit obligatum.

3 ¶ Fideiussor & præcedere obligationem, & sequi potest.

4 ¶ Si plures sint fideiussores: quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. Itaque liberum est creditori, à quo velit solidum petere. Sed ex epistola diui Hadriani compellitur creditor à singulis, qui modo soluendo sunt, litis cótestatæ tempore, partes petere. Ideoque si quis ex fideiussoribus eo tempore soluendo non sit: hoc cæteros onerat. Sed si ab vno fideiussore creditor totum consequutus fuerit: huius solius detrimentum erit, si is, pro quo fideiussit, soluendo non sit: & sibi imputare debet, cum potuerit iuuari ex epistola diui Hadriani, & desiderare, vt pro parte in se detur actio.

5 ¶ Fideiussores ita obligari non possunt, vt plus debeãt, quam debet is, pro quo obligantur. Nam eorum obligatio, accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione potest esse, quam in principali re. At ex diuerso, vt minus debeant, obligari possunt. Itaque si reus decem aureos promiserit: fideiussor in quinque recte obligatur: contra vero obligari non potest. Item si ille pure promiserit: fideiussor sub conditione promittere potest: contra vero non potest. Non solum autem in quantitate, sed etiam in tempore minus aut plus intelligitur. Plus est enim statim aliquid dare: minus est post tempus dare.

6 ¶ Si quid autem fideiussor pro reo soluerit: eius recuperandi causa habet cum eo mandati iudicium.

7 ¶ Græce etiam fideiussor ita accipitur,

πίστει κελεύω ἐγὼ. i. mea fide iubeo ego. [sed & si dixerit] θέλω siue βούλομαι. i. volo, sed & φημὶ. i. affirmo: pro eo erit, ac si dixerit λέγω. i. dico.

8 ¶ In stipulationibus fideiussorum sciendum est hoc generaliter accipi: vt quodcunque scriptum sit quasi actũ, videatur etiam actum. Ideoque constat, si quis scripserit se fideiussisse: videri omnia solenniter acta.

DE LITERARVM OBLIgationibus.

TIT. XXII.

OLim scriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non sunt in vsu. Plane si quis debere se scripserit, quod sibi numeratum non est: de pecunia minime numerata, post multum temporis exceptionem opponere non potest. hoc enim æpissime constitutum est. sic fit, vt & hodie, dum quæri non potest, scriptura obligetur: & ex ea nascatur condictio, cessante scilicet verborum obligatione. Multum autem tempus in hac exceptione antea quidem ex principalibus constitutionibus vsque ad quinquennium procedebat. sed ne creditores diutius possint suis pecuniis forsitan defraudari: per constitutionem nostram tempus coarctatum est, vt vltra biennij metas huiusmodi exceptio minime extendatur.

DE OBLIGATIONIBVS EX consensu.

TIT. XXIII.

CONsensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, cõductionibus, societatibus, mãdatis. Ideo autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahi: quia neque scriptura, neque præsentia omnimodo opus est. at nec dari quicquam necesse est, vt substantiam capiat obligatio: sed sufficit, eos, qui negotia gerũt,

consentire. vnde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuntium. Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet. [cum alioqui in verborum obligationibus alius stipuletur, alius promittat.]

DE EMPTIONE ET venditione.

TIT. XXIIII.

EMptio & venditio contrahitur, simulatque de pretio cõuenerit: quamuis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit. Nam quod arrhæ nomine datur, argumentum est emptionis & venditionis contractæ. Sed hoc quidem de emptionibus & venditionibus quæ sine scriptura consistunt, obtinere oportet, nam nihil à nobis in huiusmodi emptionibus & venditionibus innouatum est: in iis autem, quæ scriptura conficiuntur, non aliter perfectam esse venditionem & emptionem constituimus, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, à contrahentibus autem subscripta. & si per tabellionem fiunt, nisi & completiones acceperint, & fuerint partibus absoluta. Donec enim aliquid deest ex his, & pœnitentiæ locus est, & potest emptor vel venditor sine pœna recedere ab emptione [& venditione.] Ita tamẽ impune [eis recedere] concedimus, nisi iam arrharum nomine aliquid fuerit datum. hoc enim subsequuto, siue in scriptis, siue sine scriptis venditio celebrata est: is, qui recusat adimplere contractum, si quidem est emptor, perdit, quod dedit. si vero venditor, duplum restituere compellitur, licet super arrhis nihil expressum est. Pretium autem constitui oportet, nam nulla emptio sine pretio esse potest.

§ Sed & certum esse pretium debet, alioqui

qui si inter aliquos ita conuenerit, vt quanti Titius rem æstimauerit, tanti sit empta: inter veteres satis abundeque hoc dubitabatur, constaretne venditio, an non. Sed nostra decisio ita hoc constituit, vt quotiens sic cõposita sit venditio, *quanti ille æstimauerit*, sub hac conditione staret contractus: vt si quidem ille, qui nominatus est, pretium definierit: tunc omnimodo secundum eius æstimationem & pretium persoluatur, & res tradatur, & venditio ad effectum perducatur: emptore quidem ex empto actione, venditore ex vendito agente. Sin autem ille, qui nominatus est, vel noluerit, vel non potuerit pretium definire: tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto. Quod ius, cum in venditionibus nobis placuit: non est absurdum in locationibus & [in] conductionibus trahere.

2 ¶ Item pretium in numerata pecunia consistere debet. Nam in cæteris rebus, an pretium esse posset, valde quærebatur: veluti an homo, aut fundus, aut toga alterius rei pretium esse posset. [Et] Sabinus & Cassius etiam in alia re putabant pretium posse consistere, vnde illud est, quod vulgo dicebatur, permutatione rerum emptionem & venditionem contrahi, eamque speciem emptionis & venditionis vetustissimam esse, argumentoque vtebantur Græco poëta Homero, qui aliquam partem exercitus Achiuorum vinum sibi comparasse ait, permutatis quibusdam rebus, his verbis:

Ενθεν ἀρ οινίζοντο κάρηκομόωντες ἀχαιοί,
Αλλος μὲ χαλκῷ, ἄλλος δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Αλλος δὲ ῥινοῖς, ἄλλος δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
Αλλος δ' ἀνδραπόδεσσι. id est,

Hinc sibi certatim gentis de more comati
Vina parant Graij ære dato, fulgenteque ferro,
Tergoribusque, bubus sed & ipsis, mancipiisque.

Diuersæ scholæ auctores contra sentiebant:

aliudque esse existimabant permutationem rerum, aliud emptionem & venditionem: alioqui non posse rem expediri, permutatis rebus, quæ videatur res venisse, & quæ pretij nomine data esse. nam vtramque videri & venisse, & pretij nomine datam esse, rationem non pati. Sed Proculi sententia, dicētis permutationem propriam esse speciē contractus à venditione separatam, merito præualuit: cum & ipse aliis Homericis versibus adiuuabatur, & validioribus rationibus argumentabatur: quod & anteriores diui principes admiserunt, & in nostris Digestis latius significatur.

3 ¶ Quum autem emptio & venditio contracta sit (quod effici diximus, simulatque de pretio conuenerit, cum sine scriptura res agitur) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si homo mortuus sit, vel aliqua parte corporis læsus fuerit, aut ædes totæ vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint: aut fundus vi fluminis totus vel aliqua ex parte ablatus sit, siue etiam inundatione aquæ aut arboribus turbine deiectis longe minor aut deterior esse cœperit, emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium soluere. Quicquid enim sine dolo & culpa venditoris accidit, in eo vēditor securus est. Sed & si post emptionē fundo aliquid per alluuionem accesserit: ad emptoris commodum pertinet. Nam & commodum eius esse debet, cuius periculum est. Quod si fugerit homo, qui venit, aut subreptus fuerit, ita vt neque dolus, neque culpa venditoris interuenerit: animaduertendū erit, an custodiam eius vsque ad traditionem venditor susceperit. Sane enim si susceperit: ad ipsius periculum is casus pertinet. si non susceperit, securus est. Idem & in cæteris animalibus, cæterisque rebus intelligimus. Vtique tamen

men vindicationem rei & condictionem exhibere debebit emptori: quia sane qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipse dominus est. Idem etiam est de furti & damni iniuriæ actione.

4 ¶ Emptio tam sub conditione quam pure contrahi potest. Sub conditione, veluti, *Si Stichus intra certum diem tibi placuerit, eris tibi emptus aureis tot.*

5 ¶ Loca sacra vel religiosa, item publica (veluti forum, basilicam) frustra quis sciens emit, quæ tamen si pro profanis vel priuatis deceptus à venditore quis emerit: habebit actionem ex empto, quod non habere ei liceat, vt consequatur, quod sua interest eum deceptum non esse. Idem iuris est, si hominem liberum pro seruo emerit.

DE LOCATIONE ET conductione.

TIT. XXV.

LOcatio & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque iuris regulis consistit. Nam vt emptio & venditio ita contrahitur, si de pretio conuenerit: sic & locatio & conductio ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit. & competit locatori quidem locati actio, conductori vero conducti.

1 ¶ Et quæ supra diximus, si alieno arbitrio pretium promissum fuerit: eadem & de locatione & conductione dicta esse intelligimus, si alieno arbitrio merces permissa fuerit. Qua de causa si fulloni polienda curandave, ac sarcinatori sarcienda vestimenta quis dederit, nulla statim mercede constituta, sed postea tantum daturus, quantum inter eos conuenerit: non proprie locatio & conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis verbis datur.

2 ¶ Præterea sicut vulgo quærebatur, an permutatis rebus emptio & venditio contraheretur: ita quæri solebat de locatione &

conductione, si forte rem aliquam vtendam siue fruendam tibi aliquis dederit, & inuicem à te vtendâ siue fruendam aliam [rem] acceperit. Et placuit non esse locationem & conductionem, sed proprium genus contractus. veluti si cum vnum bouem quis haberet, & vicinus eius vnum, placuerit inter eos, vt per denos dies inuicem boues commodarent, vt opus facerent, & apud alterum [alterius] bos perierit: neque locati, neque conducti, neque commodati competit actio: quia non fuit commodatum gratuitum. verum præscriptis verbis agendum est.

3 ¶ Adeo autem aliquam familiaritatem inter se videntur habere emptio & venditio, item locatio & conductio: vt in quibusdam causis quæri soleat, vtrum emptio & venditio contrahatur, an locatio & conductio. vt ecce de prædiis, quæ perpetuo quibusdam fruenda traduntur, id est, vt quandiu pensio siue reditus pro his domino præstetur, neque ipsi conductori, neque heredi eius cuive conductor heresve eius id prædium vendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit, aliove quocunque modo alienauerit, auferre liceat. Sed talis contractus, quia inter veteres dubitabatur, & à quibusdam locatio, à quibusdam venditio existimabatur: lex Zenoniana lata est, quæ emphyteuseos contractus propriam statuit naturam, neque ad locationem, neque ad venditionem inclinantem, sed suis pactionibus fulciendam: & si quidem aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere, ac si naturalis esset contractus. sin autem nihil de periculi rei fuerit pactum: tunc si quidem totius rei interitus accesserit: ad dominum super hoc redundare periculum. sin autem particularis: ad emphyteuticarium huiusmodi damnum venire. quo iure vtimur.

4 ¶ Item quæritur si cum aurifice Titius conuenerit, vt is ex auro suo certi ponderis certæque

tertæque formæ anulos ei faceret, & acciperet (verbi gratia) decē aureos: vtrum emptio & venditio, an locatio & conductio contrahi videatur? Cassius ait, materiæ quidem emptionem & venditionem contrahi, operæ autem locationē & conductionem. Sed placuit tantum emptionem & venditionem contrahi. Quod si suum aurum Titius dederit, mercede pro opera constituta: dubium non est, quin locatio & conductio sit.

5 ¶ Conductor [autem] omnia secundum legem conductionis facere debet: & si quid in lege prætermissum fuerit: id ex bono & æquo præstare. Qui pro vsu aut vestimentorum, aut argenti, aut iumenti, mercedē aut dedit, aut promisit: ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet. quam si præstiterit, & aliquo casu [fortuito eam] rem amiserit: de restituenda ea non tenebitur.

6 ¶ Mortuo conductore intra tempora conductionis, heres eius eodem iure in conductione succedit.

DE SOCIETATE.

TIT. XXVI.

SOcietatem coire solemus aut totorum bonorū, quā Græci specialiter κοινωνίαν appellant: aut vnius alicuius negociationis, veluti mancipiorum vendendorum emendorumque, aut olei, aut vini, aut frumenti emendi vendendique.

1 ¶ Et quidem si nihil de partibus lucri & damni nominatim conuenerit: æquales scilicet partes & in lucro & in damno spectātur. Quod si expressæ fuerint [partes:] hæ seruari debent. Nec enim vnquam dubium fuit, quin valeat conuentio, si duo inter se pacti sint, vt ad vnum quidem duæ partes & lucri & damni pertineant, ad alium tertia.

2 ¶ De illa sane conuentione quæsitū est, si Titius & Seius inter se pacti sint, vt ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni

tertia: ad Seium duę partes damni, lucri tertia: an rata debeat haberi conuentio? Quintus Mutius contra naturam societatis talem pactionem esse existimauit, & ob id non esse ratã habendam. Seruius Sulpitius (cuius sententia prævalvit) contra sensit: quia sæpe quorundam ita pretiosa est opera in societate, vt eos iustum sit conditione meliore in societatem admitti. Nam & ita coiri posse societatem nõ dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamẽ lucrum inter eos commune sit, quia sæpe opera alicuius pro pecunia valet. Et adeo contra Quinti Mutij sententiam obtinuit, vt illud quoque constiterit posse conuenire, vt quis lucri partem ferat, de damno non teneatur, quod & ipsum Seruius conuenienter [sibi] fieri existimauit. Quod tamen ita intelligi oportet, vt si in alia re lucrum, in alia damnum illatũ sit: compensatione facta, solum, quod supereſt, intelligatur lucro esse.

3 ¶ Illud expeditum est, si in vna causa pars fuerit expressa, veluti in solo lucro vel in solo damno, in altera vero omissa: in eo quoque, quod prætermissum est, eandem partem seruari.

4 ¶ Manet autem societas eo vsque, donec in eodem consensu perseuerauerint. At cum aliquis renunciauerit societati, soluitur societas. Sed plane si quis callide in hoc renunciauerit societati, vt obueniens aliquod lucrum solus habeat, veluti si totorum bonorum socius, cum ab aliquo heres esset relictus, in hoc renunciauerit societati, vt hereditatem solus lucrifaceret, cogitur hoc lucrum communicare. Si quid vero aliud lucrifaciat, quod non captauerit: ad ipsum solum pertinet. Ei vero, cui renunciatum est, quicquid omnino post renunciatam societatem adquiritur, soli conceditur.

5 ¶ Soluitur adhuc societas etiam morte socij: quia qui societatem contrahit, certam

personam sibi eligit. sed & si consensu plurium societas contracta sit: morte vnius socij (soluitur, ersi plures supersint: nisi in coeunda societate aliter conuenerit.

6 ¶ Item si alicuius rei contracta societas sit, & finis negotio impositus est: finitur societas.

7 ¶ Publicatione quoque distrahi societatem manifestum est: scilicet si vniuersa bona socij publicentur. nam cum in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur.

8 ¶ Item si quis ex sociis mole debiti prægrauatus, bonis suis cesserit, & ideo propter publicæ aut priuata debita substantia eius veneat: soluitur societas: sed hoc casu si adhuc consentiãt in societatem, noua videtur incipere societas.

9 ¶ Socius socio vtrum eo nomine tantũ teneatur pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicut is, qui deponi apud se passus est: an etiam culpæ, id est, desidiæ atque negligentiæ nomine: quæritum est. prævaluit tamẽ etiam culpæ nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere [socium,] qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parum diligentem socium sibi adsumit: de se queri, sibique hoc imputare debet.

DE MANDATO.

TIT. XXVII.

MAndatum contrahitur quinque modis: siue sua tantum gratia aliquis tibi mandet, siue sua & tua, siue aliena tantum, siue sua & aliena, siue tua & aliena. At si tua tantum gratia mandatum sit: supervacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio nascitur.

1 ¶ Mandantis [tantum] gratia interuenit mandatum: veluti si quis tibi mandet, vt negotia eius gereres, vel vt fundum ei emeres,

vel vt pro eo sponderes.

2 ¶ Tua gratia & mandantis: veluti si mandet tibi, vt pecuniam sub vsuris crederes ei, qui in rem ipsius mutuaretur: aut si volente re agere cum eo ex fideiussoria causa, mandet tibi, vt cum reo agas, periculo mandantis: vel vt ipsius periculo stipuleris ab eo, quem tibi deleget in id, quod tibi debuerat.

3 ¶ Aliena autem [tantum] causa interuenit mandatum, veluti si tibi aliquis mandet, vt Titij negotia gereres, vel vt Titio fundum emeres, vel vt pro Titio sponderes.

4 ¶ Sua & aliena: veluti si de communibus suis & Titij negotiis gerendis tibi mandet, vel vt sibi & Titio fundum emeres, vel vt pro eo & Titio sponderes.

5 ¶ Tua & aliena: veluti si tibi mandet, vt Titio sub vsuris crederes: quia si sine vsuris pecuniam crederes, aliena tantum gratia intercedit mandatum.

6 ¶ Tua tantum gratia interuenit mandatum: veluti si tibi mádet, vt pecunias tuas in emptionem potius prædiorũ colloces, quam fœneres: vel ex diuerso, vt pecunias tuas fœneres potius, quam in emptione prædiorum colloces. Cuius generis mandatum, magis consilium, quam mandatum est, & ob id non est obligatorium: quia nemo ex consilio mandati obligatur, etiam si non expediat ei, cui mandabatur, cum liberum cuique sit apud se explorare, an sibi expediat consilium. Itaque si otiosam pecuniam domi te habentem hortatus fuerit aliquis, vt rem aliquam emeres, vel eam crederes: quamuis non expediat eam tibi emisse, vel credidisse, non tamen tibi mandati tenetur. Et adeo hæc ita sunt, vt quæsitum sit, an mandati teneatur, qui mandauit tibi, vt pecuniam Titio fœnerares? sed obtinuit Sabini sententia, obligatorium esse in hoc casu mandatum: quia non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum esset.

7 ¶ Illud

7 ¶ Illud quoque mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est: veluti si Titius de furto, aut [de] damno faciendo, aut de iniuria facienda mandet tibi. licet enim pœnam istius facti nomine præstiteris, non tamen vllam habes aduersus Titium actionem.

8 ¶ Is, qui exequitur mandatum, non debet excedere fines mandati. vt ecce, si quis vsque ad centum aureos mandauerit tibi, vt fundum emeres, vel vt pro Titio sponderes: neque pluris emere debes, neque in ampliorem pecuniam fideiubere. alioqui non habebis cum eo mandati actionem. adeo quidem, vt Sabino & Cassio placuerit, etiam si vsque ad centum aureos cum eo agere volueris: inutiliter te acturum. [Sed] diuersæ scholæ auctores recte vsque ad centum aureos te acturum existimant: quæ sententia sane benignior est. Quod si minoris emeris, habebis scilicet cum eo mandati actionem: quoniam qui mandat, vt sibi centum aureorum fundus emeretur, is vtique mandasse intelligitur, vt minoris (si possit) emeretur.

9 ¶ Recte quoque mandatum contractum, si dum adhuc integra res sit, reuocatum fuerit, euanescit.

10 ¶ Item si adhuc integro mandato, mors alterutrius interueniat, id est, vel eius qui mandauerit, vel illius, qui mandatum susceperit: soluitur mandatum. Sed vtilitatis causa receptum est: si eo mortuo, qui tibi mandauerat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum: posse te agere mandati actione. alioqui iusta & probabilis ignorantia tibi damnum adferret. Et huic simile est, quod placuit, si debitores manumisso dispensatore Titij, per ignorantiam liberto soluerint, liberari eos, cum alioqui stricta iuris ratione non possent liberari, quia alij soluissent, quam cui soluere debuerint.

11 ¶ Mandatum non suscipere, cuilibet liberum

berum est: susceptum autem consummandum est, aut quam primum renunciandum, vt per semetipsum, aut per alium eandem rem mandator exequatur. Nam nisi ita renuncietur, vt integra causa mandatori reseruetur eandem rem explicandi: nihilominus mandati actio locum habet: nisi iusta causa intercesserit, aut non renunciandi, aut intempestiue renunciandi.

12 ¶ Mandatum & in diem differri, & sub conditione fieri potest.

13 ¶ In summa sciendum est, mandatum, nisi gratuitum sit, in aliam formam negotij cadere. Nam mercede constituta, incipit locatio & conductio esse. Et (vt generaliter dicamus) quibus casibus sine mercede suscepto officio, mandati siue depositi contrahitur negotium: iis casibus interueniente mercede locatio & conductio intelligitur contrahi. Et ideo si fulloni polienda curandave quis dederit vestimenta, aut sarcinatori sarcienda, nulla mercede constituta neque promissa: mandati competit actio.

DE OBLIGATIONIBVS, [QVAE] quasi ex contractu [nascuntur.]

TIT. XXVIII.

POst genera contractuum enumerata dispiciamus etiam de iis obligationibus, quae quidem non proprie nasci ex contractu intelliguntur: sed tamen quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur.

1 ¶ Igitur cum quis negotia absentis gesserit: vtro citroque inter eos nascuntur actiones, quae appellantur negotiorum gestorum. sed domino quidem rei gestae aduersus eum, qui gessit, directa competit actio: negotiorum autem gestori, contraria. quae ex nullo contractu proprie nasci, manifestum est: quippe ita nascuntur istae actiones, si sine mandato quisque alienis negotiis gerendis se obtulerit. ex qua causa ij, quorum negotia

gesta

gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque vtilitatis causa receptum est: ne absentium, qui subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, peregre profecti essent, desererentur negotia: quæ sane nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem. Sicut autem is, qui vtiliter gessit negotia, dominum habet obligatum negotiorum gestorum: ita & cõtra iste quoque tenetur, vt administrationis reddat rationem. Quo casu ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem: nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere soleat: si modo alius diligentior [eo] commodius administraturus esset negotia.

2 ¶ Tutores quoque, qui tutelæ iudicio tenentur, non proprie ex contractu obligati [esse] intelliguntur (nullum enim negotium inter tutorem & pupillum contrahitur) sed quia sane non ex maleficio tenentur, quasi ex contractu teneri videntur. Hoc autem casu mutuæ sunt actiones. Non tantũ enim pupillus cum tutore habet tutelæ actionem: sed & contra tutor cum pupillo habet contrariam tutelæ, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus eius obligauerit.

3 ¶ Item si inter aliquos communis res sit sine societate: veluti quod pariter eis legata donataue esset: & alter eorum alteri ideo teneatur communi diuidundo iudicio, quod solus fructus ex ea re perceperit, aut quod socius eius solus in eam rem necessarias impẽsas fecerit: nõ intelligitur ex contractu proprie obligatus esse: quippe nihil inter se contraxerunt. sed quia ex maleficio non tenetur: quasi ex contractu teneri videtur.

4 ¶ Idem iuris est de eo, qui coheredi familiæ erciscundæ iudicio ex his causis obligatus est.

5 ¶ Heres

5 ¶ Heres quoque legatorum nomine non proprie ex contractu obligatus intelligitur: (neque enim cum herede, neque cum defuncto, vllum negotium legatarius gessisse proprie dici potest) & tamen quia ex maleficio non est obligatus: quasi ex contractu debere intelligitur.

6 ¶ Item is, cui quis per errorem non debitum soluit, [quasi ex contractu debere videtur.] Adeo enim non intelligitur proprie ex contractu obligatus [esse,] vt si certiorem rationem sequamur: magis (vt supra diximus) ex distractu, quam ex contractu possit dici obligatus esse, nam qui soluendi animo pecuniam dat: in hoc dare videtur, vt distrahat potius negotium, quam contrahat. Sed tamen perinde is, qui accipit, obligatur, ac si mutuum ei daretur. & ideo condictione tenetur.

7 ¶ Ex quibusdam tamen causis repeti non potest, quod per errorem non debitum solutum sit. sic namque definierunt veteres, ex quibus causis inficiando lis crescit, ex iis causis non debitum solutum, repeti non posse: veluti ex lege Aquilia, item ex legato. Quod veteres quidem in iis legatis locum habere voluerint, quæ certa constituta, per damnationem cuique legata fuerant. nostra autem constitutio, cum vnam naturam omnibus legatis & fideicommissis indulsit, huiusmodi augmentum in omnibus legatis & fideicommissis extendi voluit: sed non omnibus legatariis hoc præbuit, sed tantummodo in iis legatis & fideicommissis, quæ sacrosanctis ecclesiis, & cæteris venerabilibus locis, quæ religionis vel pietatis intuitu honorantur, relicta sunt: quæ si indebita soluantur, non repetuntur.

PER

PER QVAS PERSONAS NOBIS obligatio adquiritur.

TIT. XXIX.

EXpositis generibus obligationum, quæ ex contractu vel quasi ex contractu nascuntur: admonendi sumus adquiri nobis non solum per nosmetipsos, sed per eas quoque personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per seruos & filios nostros, vt tamen, quod per seruos [nostros] nobis adquiritur, totum nostrum fiat: quod autē per liberos, quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit adquisitum, hoc diuidatur secundum imaginem rerum proprietatis & vsusfructus, quam nostra decreuit constitutio: vt quod ab actione commodum perueniat, huius vsumfructum quidem habeat pater, proprietas autem filio seruetur, scilicet patre actionem mouente secundum nouellæ nostræ constitutionis diuisionem.

1 ¶ Item per liberos homines, & alienos seruos, quos bona fide possidemus, adquiritur nobis: sed tantum ex duabus causis, id est, si quid ex operis suis, vel ex re nostra adquirant.

2 ¶ Per eum quoque seruum, in quo vsumfructum [vel vsum habemus], similiter ex duabus istis causis nobis adquiritur.

3 ¶ Communem seruum pro dominica parte dominis adquirere certum est: excepto eo, quod nominatim vni stipulando: aut per traditionem accipiendo, illi soli adquirit: veluti cum ita stipulatur, *Titio domino meo dare spondes?* Sed si domini vnius iussu seruus fuerit stipulatus, licet antea dubitabatur, tamen post nostram decisionem res expedita est, vt illi tantum adquirat, qui hoc ei facere iussit, vt supra dictum est.

QVIBVS MODIS TOLLITUR obligatio.

TIT. XXX.

TOllitur autem omnis obligatio solutione eius, quod debetur: vel si quis, consentiente creditore, aliud pro alio soluerit. Nec interest, quis soluat: vtrum ipse, qui debet, an alius pro eo. liberatur enim & alio soluente: siue sciente, siue ignorante debitore, vel inuito [eo] solutio fiat. Item si reus soluerit: etiam ij, qui pro eo interuenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, si fideiussor soluerit: non enim ipse solus liberatur, sed etiam reus.

1 ¶ Item per acceptilationem tollitur obligatio. Est autem acceptilatio, imaginaria solutio. Quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id si velit Titius remittere, poterit sic fieri, vt patiatur hæc verba debitorem dicere: *Quod ego tibi promisi, habesne acceptum?* & Titius respodeat, *habeo*. Sed & Græce potest acceptilatio fieri: dummodo sic fiat, vt Latinis verbis solet [exigi], ἔχεις λαβὼν δηνάριατόσα; ἔχω λαβών. *id est, tot denarios acceptos habes? acceptos habeo.* Quo genere (vt diximus) tantum eæ soluuntur obligationes, quæ ex verbis consistunt, non etiam cæteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, aliis posse verbis dissolui. Sed & id, quod alia ex causa debetur, potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolui. Sicut autem quod debetur, pro parte recte soluitur: ita in parte debiti acceptilatio fieri potest.

2 ¶ Est [autem] prodita stipulatio, quæ vulgo Aquiliana appellatur, per quam contingit, vt omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tollatur. Stipulatio enim Aquiliana renouat omnes obligationes, & à Gallo Aquilio ita composita est: *Quidquid te mihi ex quacunque*

eau

causa dare facere oportet, oportebit ve, præsens in diem ve quamcunque rem mihi tecum actio est, quæque aduersus te petitio, vel aduersus te persecutio est, erit ve quod ve tu meum habes, tenes, possides, [dolove malo feciſti, quo minus possideas:] quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius. spopondit Numerius Nigidius. quod Numerius Nigidius Aulo Agerio spopondit, id habere tene à se acceptum Numerius Nigidius Aulum Agerium vogauit. Aulus Agerius Numerio Nigidio acceptum fecit.

3 ¶ Præterea nouatione tollitur obligatio: veluti si id quod tibi Seius debebat, à Titio dari stipulatus sis. Nam interuentu nouæ personæ noua nascitur obligatio, & prima tollitur, translata in posteriorem: adeo, vt interdum, licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prima nouationis iure tollatur: veluti si id, quod tu Titio debes à pupillo sine tutoris auctoritate stipulatus fuerit, quo casu res amittitur, nam & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est. Non idem iuris est, si à seruo quis fuerit stipulatus. nam tunc prior perinde obligatus manet, ac si postea nullus stipulatus fuisset. Sed si eadem persona sit, à qua postea stipuleris: ita demum nouatio fit, si quid in posteriore stipulatione noui sit: forte si conditio aut dies, aut fideiussor adiiciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, si conditio adiiciatur, nouationem fieri: sic intelligi oportet, vt ita dicamus factam nouationem, si conditio extiterit: alioqui si defecerit, durat prior obligatio. Sed, cum hoc quidem inter veteres constabat, tunc fieri nouationem, cum nouandi animo in secũdam obligationem itum fuerat, per hoc autem dubium erat, quando nouandi animo videretur hoc fieri, & quasdam de hoc præsumptiones alij in aliis casibus introducebant: ideo nostra processit constitutio, quæ apertissime definiuit, tunc solum nouatio-

nem prioris obligationis fieri, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quod propter nouationem prioris obligationis conuenerunt, alioqui & manere priorem obligationem, & secundam ei accedere, vt maneat ex vtraque causa obligatio secundum nostræ constitutionis definitionem, quam licet ex ipsius lectione apertius cognoscere.

4 ¶ Hoc amplius, eæ obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissoluuntur. Nam si Titius & Seius inter se consenserint, vt fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureis: deinde re nondum secuta, id est, neque pretio soluto, neque fundo tradito, placuerit inter eos, vt discederetur ab ea emptione & venditione: inuicem liberantur. Idem est in cõductione & locatione, & in omnibus contractibus, qui ex consensu descendunt: sicut iam dictum est.

INSTI

INSTITVTIONVM,
seu Elementorum
D. IVSTINIANI
sacratissimi Principis,
LIBER QVARTVS.
DE OBLIGATIONIBVS, quæ ex delicto nascuntur.

TITVLVS I.

QVum sit expositum superiore libro de obligationibus ex contractu:[& quasi ex contractu:] sequitur, vt de obligationibus ex maleficio, [& quasi ex maleficio] disperiamus. Sed illæ quidem (vt suo loco tradidimus)in quatuor genera diuiduntur. hæ vero vnius generis sunt. nam omnes ex re nascuntur,id est,ex ipso maleficio,veluti ex furto,rapina, damno, iniuria.

1 ¶ Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia,vel ipsius rei,vel etiam vsus eius possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere.

2 ¶ Furtum autem vel à furuo, id est,nigro,dictum est,quod clam & obscure fiat,& plerumque nocte : vel à fraude, vel à ferendo,id est, auferendo : vel à Græco sermone, quod φῶρας appellant fures. Imo & Græci à ferendo φῶρας dixerunt.

3 ¶ Furtorum autem duo sunt genera: manifestum & nec manifestum. Nam conceptum & oblatum, species potius actionis sunt furto cohærentes, quam genera furtorum, sicut inferius apparebit. Manifestus fur est quem Græci ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant: nec solum is,qui in ipso furto deprehendi-

tur, sed etiam is, qui in eo loco deprehenditur, quo [furtū] sit: veluti qui in domo furtum fecit, &, nondum egressus ianuam, deprehensus fuerit: & qui in olivieto olivarum, aut in vineto vuarum furtum fecit, quamdiu in eo olivieto aut vineto deprehensus fuerit. Imo vlterius furtum manifestum est extendendum, quamdiu eam rem fur tenens visus vel deprehensus fuerit: sive in publico, sive in priuato: vel à domino, vel ab alio antequam eo peruenerit, quo deferre vel deponere destinasset. Sed si pertulit, quo destinauit, tametsi deprehendatur cum re furtiua, non est manifestus fur. Nec manifestum furtum quid sit, ex iis, quæ diximus, intelligitur. nam quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est.

4 ¶ Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem testibus præsentibus furtiua res quæsita & inuenta sit. nam in eum propria actio constituta est, quamuis fur non sit, quæ appellatur concepti. Oblatum furtum dicitur, cum res furtiua ab aliquo tibi oblata sit, eaque apud te concepta sit: vtique si ea mente tibi data fuerit, vt apud te potius quam apud eum, qui dedit, conciperetur. nam tibi, apud quem concepta sit, propria aduersus eum, qui obtulit, quamuis fur non sit, constituta est actio, quæ appellatur oblati. Est etiam prohibiti furti actio aduersus eum, qui furtum quærere testibus præsentibus volentem prohibuerit. Præterea pœna constituitur edicto prætoris per actionem furti non exhibiti aduersus eum, qui furtiuam rem apud se quæsitam & inuentam non exhibuit. Sed hæ actiones, scilicet concepti & oblati, & furti prohibiti, necnon furti non exhibiti in desuetudinem abierunt. Quum enim requisitio rei furtiuæ hodie secundum veterem obseruationem non fiat: merito ex conse-

quen-

quentia etiam prgfatæ actiones ab vsu communi receſſerunt: quum manifeſtum ſit quod omnes, qui ſcientes rem furtiuam ſuſceperint, & celauerint, furti nec manifeſti obnoxij ſunt.

5 ¶ Pœna manifeſti furti, quadrupli eſt, tam ex ſerui, quam ex liberi perſona: nec manifeſti, dupli.

6 ¶ Furtum autem fit, non ſolum cum quis intercipiendi cauſa rem alienam amouet: ſed generaliter cum quis alienam rem inuito domino contrectat. Itaque ſiue creditor pignore, ſiue is, apud quem res depoſita eſt, ea re vtatur, ſiue is, qui rem vtendam accepit, in alium vſum eam transferat, quam cuius gratia ei data eſt: furtum committit. veluti ſi quis argentum vtendum acceperit, quaſi amicos ad cœnam inuitaturus, & id peregre ſecum tulerit: aut ſi quis equum geſtandi cauſa commodatum ſibi, longius aliquo duxerit: quod veteres ſcripſerunt de eo, qui in aciem equum perduxiſſet.

7 ¶ Placuit tamen eos qui rebus commodatis aliter vterentur, quam vtendas acceperint, ita furtum committere: ſi ſe intelligant, id inuito domino facere: eumque, ſi intellexiſſet, non permiſſurum. at ſi permiſſurum credant, extra crimen videri, optima ſane diſtinctione: quia furtum, ſine affectu furandi non committatur.

8 ¶ Sed & ſi credat aliquis inuito domino ſe rem commodatam ſibi contrectare, domino autem volente id fiat: dicitur furtum non fieri. Vnde illud quæſtum eſt, cum Titius ſeruum Mæuij ſolicitauerit, vt quaſdam res domino ſubriperet, & ad eum perferret, & ſeruus id ad Mæuium pertulerit. Mæuius [autem] dum vult Titium in ipſo delicto deprehendere, permiſerit ſeruo quaſdam res ad eum perferre: vtrum

furti, an serui corrupti iudicio teneatur Titius, an neutro? Et cum nobis super hac dubitatione suggestum est, & antiquorum prudentium super hoc altercationes perspeximus, quibusdam neque furti, neque serui corrupti actionem præstantibus, quibusdam furti tantummodo: nos huiusmodi calliditati obuiam euntes, per nostram decisionem sancimus, non solum furti actionem, sed & serui corrupti contra eum dari. Licet enim [is] seruus deterior [à sollicitatore] minime factus est, & ideo non concurrant regulæ, quæ serui corrupti actionem introducunt: tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis serui introductum est, vt sit ei pœnalis actio imposita tanquam [si] re ipsa fuisset seruus corruptus: ne ex huiusmodi impunitate & in aliũ seruum, qui facile posset corrumpi, tale factum à quibusdam perpetretur.

9 ¶ Interdum etiam liberorum hominum furtum fit. veluti si quis liberorum nostrorum, qui in potestate nostra sunt, subreptus fuerit.

10 ¶ Aliquando autem etiam suæ rei furtum quis committit: veluti si debitor rem, quam creditori pignoris causa dedit, subtraxerit.

11 ¶ Interdum [quoque] furti tenetur, qui ipse furtum non fecit: qualis est is, cuius ope & consilio furtum factum est. In quo numero est, qui tibi nummos excussit, vt alius eos raperet: aut tibi obstiterit, vt alius rem tuam exciperet, aut oues tuas vel boues fugauerit, vt alius eas acciperet. Et hoc veteres scripserunt de eo, qui panno rubro fugauit armentum. Sed si quid eorum per lasciuiam, & non data opera, vt furtum admitteretur, factum est: in factum actio dari debet. At vbi ope Mæuij Titius furtum fecerit: ambo furti tenentur. Ope & consilio ejus quoque furtum admitti videtur.

tur, qui scalas forte fenestris supponit: aut ipsas fenestras vel ostium effringit, vt alius furtum faceret: quive ferramenta ad effringendum, aut scalas, vt fenestris supponerentur, commodauerit, sciens cuius rei gratia commodauerit. Certe qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.

12 ¶ Hi, qui in parentum vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiunt, furtum quidem faciunt, & res in furtiuam causam cadit (nec ob id ab vllo vsucapi potest, antequam in domini potestatem reuertatur) sed furti actio non nascitur: quia nec ex alia vlla causa potest inter eos actio nasci. Si vero ope & consilio alterius furtum factum fuerit: quia vtique furtum committitur, conuenienter ille furti tenetur: quia verum est, ope & consilio eius furtum factum esse.

13 ¶ Furti autem actio ei competit, cuius interest rem saluam esse, licet dominus non sit. Itaque nec domino aliter competit, quam si eius interfit rem non perire.

14 ¶ Vide constat creditorem de pignore subrepto furti [actione] agere posse, etiam si idoneum debitorem habeat: quia expedit ei pignori potius incumbere, quam in personam agere: adeo quidem, vt quamuis ipse debitor eam rem subripuerit: nihilominus creditori competat actio furti.

15 ¶ Item si fullo polienda curandave, aut sarcinator sarcienda vestimenta merede certa [constituta] acceperit, eaque furto amiserit: ipse furti habet actionem, non dominus, quia domini nihil interest eam rem non perire, quum iudicio locati à fullone aut sarcinatore rem suã persequi possit. Sed & bonæ fidei emptori subrepta re,

quam emerit, quamuis dominus non sit, omnino competit furti actio, quemadmodum & creditori. Fulloni vero & sarcinatori non aliter furti actionem competere placuit, quam si soluendo fuerint: hoc est, si domino rei æstimationem soluere possint. Nam si soluendo non sint: tunc quia ab eis suum dominus consequi non possit: ipsi domino furti competit actio, quia hoc casu ipsius interest rem saluam esse. Idem est, & si in parte soluendo fuerit fullo aut sarcinator.

16 ¶ Quæ de fullone & sarcinatore diximus, eadem & ad eum, cui commodata res est, transferenda veteres existimabant. Nam vt ille fullo mercedem accipiendo, custodiam præstat: ita is quoque, qui commodatum vtendi causa accepit, similiter necesse habet custodiam præstare. Sed nostra prouidentia etiam hoc in nostris decisionibus emendauit, vt in domini voluntate sit: siue commodati actionem aduersus eum, qui rē commodatam accepit, mouere desiderat: siue furti aduersus eum, qui rem subripuit: & alterutra earum electa, dominum non posse ex pœnitentia ad alteram venire actionem. sed si quidem furem elegerit: illum, qui rem vtendam accepit, penitus liberari. sin autem commodator veniat aduersus eū, qui rem vtendam accepit: ipsi quidem nullo modo competere posse aduersus furem furti actionem. eum autem, qui pro re commodata conuenitur, posse aduersus furem furti habere actionem: ita tamen, si dominus sciens rem esse subreptam, aduersus eum, cui res commodata fuerit, peruenit. sin autem nescius & dubitans rem esse subreptam apud eum commodati actionem instituerit, postea autem re comperta voluerit remittere quidem commodati actionem, ad furti autem actionem peruenire: tunc licentia ei conceditur & aduersum furem ve-

nire, obstaculo nullo ei opponendo, quoniam incertus constitutus mouit aduersus eum, qui rem vtendam accepit, commodati actionem: nisi domino ab eo satisfactum fuerit: tunc etenim omnino furem à domino quidem furti actione liberari: suppositum autem esse ei, qui pro re sibi commodata domino satisfecit: cum manifestissimum sit, etiam si ab initio dominus actionem commodati instituerit, ignarus rem esse subreptam, postea autem hoc ei cognito, aduersus furem transferit: omnino liberari eum, qui rem commodatam acceperit, quemcunque causæ exitum dominus aduersus furem habuerit: eadem definitione obtinente, siue in parte, siue in solidum soluendo sit is, qui rem commodatam acceperit.

17 ¶ Sed is, apud quem res deposita est, custodiam non præstat: sed tantum in eo obnoxius est, si quid ipse dolo malo fecerit. qua de causa si res ei subrepta fuerit: quia restituendæ eius rei nomine depositi non tenetur, nec ob id eius interest rem saluam esse: furti agere non potest, sed furti actio domino competit.

18 ¶ In summa, sciendum est, quæsitum esse, an impubes rem alienam amouendo, furtum faciat? Et placuit, quia furtum ex affectu [furandi] consistit, ita demum obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit, & ob id intelligat se delinquere.

19 ¶ Furti actio, siue dupli, siue quadrupli, tantum ad pœnæ persecutionem pertinet. Nam ipsius rei persecutionem extrinsecus habet dominus, quam aut vindicando, aut condicendo potest auferre. Sed rei vindicatio quidem aduersus possessorem est: siue fur ipse possideat, siue alius quilibet: condictio autem aduersus furem ipsum he-

redemve eius, licet non possideat, competit.

DE VI BONORVM raptorum.

TIT. II.

QVi res alienas rapit, tenetur quidem etiam furti (quis enim magis alienam rem inuito domino contrectat, quam qui vi rapit? ideoque recte dictum est eum improbum furem esse) sed tamen propriam actionem eius delicti nomine prætor introduxit, quæ appellatur vi bonorum raptorum: & est intra annum quadrupli, post annum simpli: quæ actio vtilis est, etiam si quis vnam rem, licet minimam, rapuerit. Quadruplum autem non totum pœna est, sicut in actione furti manifesti diximus, sed in quadruplo inest & rei persecutio: vt pœna tripli sit, siue comprehendatur raptor in ipso delicto, siue non. Ridiculum enim esset leuioris conditionis esse eum, qui vi rapit, quam qui clam amouet.

1¶ Ita tamen competit hæc actio, si dolo malo quis rapuerit. Nam qui aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, & imprudens iuris, eo animo rapuerit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre à possessoribus: absolui debet. Cui scilicet conueniens est, nec furti teneri eum, qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne, dum talia excogitantur, inueniatur via per quã raptores impune suam exerceant auaritiam: melius diualibus constitutionibus pro hac parte prospectum est, vt nemini liceat vi rapere vel rem mobilem vel se mouentem, licet suam eandem rem existimet: sed si quis contra statuta principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere: sin autem aliena [res] sit, post restitutionem eius, etiam æstimationem eiusdem rei præstare. Quod non solum in mobilibus rebus, quæ rapi possunt, constitutiones obtinere censuerunt: sed etiam

iam[in] inuasionibus quæ circa res soli fiũt, vt ex hac causa ab omni rapina homines abstineant.

2 ¶ Sane in hac actione non vtique expectatur, rem in bonis actoris esse. nam siue in bonis sit, siue non: si tamen ex bonis sit, locum hæc actio habebit. Quare siue locata, siue commodata, siue etiam pignorata, siue deposita sit [res]apud Titium, sic vt intersit eius eam rem [per vim] non auferri (veluti si in deposita re culpam quoque promisit) siue bona fide possideat, siue vsũfructũ quis habeat in ea, vel quid aliud iuris, vt intersit eius non rapi: dicendum est, ei competere hanc actionem, non vt dominium accipiat: sed illud solum, [quod] ex bonis eius qui rapinam passus est, [id est,] quod ex substantia eius ablatum esse proponatur. Et generaliter dicendum est, ex quibus causis furti actio competit in re clam facta, ex eisdem causis omnes habere hanc actionem.

DE LEGE AQVILIA.
TIT. III.

DAmni iniuriæ actio constituitur per legem Aquiliam: cuius primo capite cautum est, *vt si quis alienum hominem, alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero sit, iniuria occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur.*

1 ¶ Quod autem non præcise de quadrupede, sed de ea tantum quæ pecudum numero est, cauetur: eo pertinet, vt neque de feris bestiis, neque de canibus cautum esse intelligamus: sed de iis tantum, quæ [gregatim] proprie pasci dicuntur: quales sunt equi, muli, asini, oues, boues, capræ. De suibus quoque idem placuit. Nam & sues pecudum appellatione continentur: quia & hi gregatim pascuntur. Sic denique & Homerus in Odyssea ait (sicut Aelius Martianus in suis institutionibus refert,)

Aúde

Δήϊς τόν γε σύεσσι παρήμενον, οἱ δὲ νέμοντες
Πὰρ Κόρακος πέρη, ἐπὶ τε κρήνῃ Ἀρετούσῃ.

id est,

Sectantem videas, qui errant per pascua, porcos
Ad Coracis saxum, iuxta fontémque Arethusam.

2 ¶ Iniuria autem occidere intelligitur, qui nullo iure occidit. Itaque qui latronum [insidiatorem] occiderit, non tenetur, vtique si aliter periculum effugere non potest.

3 ¶ Ac ne is quidem hac lege tenetur, qui casu occidit, si modo culpa eius nulla inueniatur. nam alioqui non minus ex dolo quam ex culpa quisque hac lege tenetur.

4 ¶ Itaque si quis dum iaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem seruum tuum traiecerit, distinguitur. Nam si id à milite in eo campo, vbi solitum est exercitari, admissum est: nulla culpa eius intelligitur. si alius tale quid admiserit: culpæ reus est. Idem iuris est de milite, si in alio loco, quam qui ad exercitandum militibus destinatus est, id admiserit.

5 ¶ Item si putator ex arbore deiecto ramo seruum tuum transeuntem occiderit: si prope viam publicam aut vicinalem id factum est, neque proclamauit, vt casus euitari posset, culpæ reus est: sed si proclamauit, nec ille curauit præcauere, extra culpam est putator. Aeque extra culpam esse intelligitur, si seorsum à via forte, vel in medio fundo cædebat, licet non proclamauit: quia [in] eo loco nulli extraneo ius fuerat versandi.

6 ¶ Præterea, si Medicus, qui seruum tuum secuit, dereliquerit curationem [eius], & ob id mortuus fuerit seruus, culpæ reus erit.

7 ¶ Imperitia quoque culpæ adnumeratur: veluti si Medicus [ideo] seruum tuum occiderit, quia male eum secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit.

8 ¶ Impetu quoque mularum, quas mulio

lio propter imperitiam retinere nō potuit, si seruus tuus oppressus fuerit, culpæ reus est mulio. Sed si & propter infirmitatem eas retinere non potuerit, cum alius firmior eas retinere potuisset: æque culpa tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque qui cum equo veheretur, impetum eius aut propter infirmitatem, aut propter imperitiam suam retinere non potuerit.

9 ¶ His autem verbis legis, *quanti id eo in anno plurimi fuerit*, illa sententia exprimitur: vt si quis hominem tuum, qui hodie claudus, aut mancus, aut luscus erit, occiderit, qui in eo anno integer, aut pretiosus fuerit: non tanti teneatur, quanti hodie erit, sed quanti in eo anno plurimi fuerit. Qua ratione creditum est pœnalem esse huius legis actionem: quia non solum tanti quisque obligatur, quantum damni dederit, sed aliquando longe pluris. Ideoque constat in heredem eam actionem non transire: quæ transitura fuisset si vltra damnum nunquam liis æstimaretur.

10 ¶ Illud non ex verbis legis, sed ex interpretatione placuit non solum perempti corporis æstimationem habendam esse, secundum ea quæ diximus: sed eo amplius, quidquid præterea, perempto eo corpore, damni vobis illatum fuerit: veluti si seruum tuum heredem ab aliquo institutum, ante quis occiderit, quam is iussu tuo hereditatem adierit. nam hereditatis quoque amissæ rationem esse habendam constat. Item si ex pari mularum vnam vel ex quadrigis equorum vnum quis occiderit, vel ex comœdis vnus seruus occisus fuerit: non solum occisi fit æstimatio, sed eo amplius, id quoque computatur, quanti depretiati sunt, qui superfunt.

11 ¶ Liberum autem est ei, cuius seruus occisus fuerit, & ex iudicio priuato legis Aquiliæ damnum persequi, & capitalis crimi-

nis

minis[eum]reum facere.

12 ¶ Caput secundum legis Aquiliæ in vsu non est.

13 ¶ Capite tertio de omni cætero damno cauetur. Itaque si quis seruum vel eam quadrupedem, quæ pecudum numero est, vulnerauerit: siue eam quadrupedem, quæ pecudum numero non est, veluti canem aut feram bestiam vulnerauerit, aut occiderit: hoc capite actio constituitur. In cæteris quoque omnibus animalibus, item in omnibus rebus, quę anima carent, damnum per iniuriam datum, hac parte vindicatur. Si quid enim vstum, aut ruptum, aut fractum fuerit: actio ex hoc capite constituitur, quâquam poterat sola rupti appellatio in omnes istas causas sufficere: ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum est. Vnde non solum fracta, aut vsta, sed etiam scissa, & collisa, & effusa, & quoquo modo perempta, atque deteriora facta, hoc verbo continentur. Denique responsum est, si quis in alienum vinum aut oleum, id miscuerit, quo naturalis bonitas vini aut olei corrumperetur: ex hac parte legis [Aquiliæ] eum teneri.

14 ¶ Illud palam est, sicut ex primo capite ita demum quisque tenetur, si dolo aut culpa eius homo aut quadrupes occisus occisaue fuerit ita ex hoc capite, de dolo aut culpa, [&] de cætero damno quemque teneri. [Ex] hoc tamen capite non quanti in eo anno, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit.

15 ¶ At nec *plurimi* quidem verbum adiicitur, sed Sabino recte placuit, perinde habendam æstimationem, ac si etiam hac parte *plurimi* verbum adiectum fuisset. nam plebem Romanam, quæ Aquilio tribuno interrogante hanc legem tulit, cótentam fuisse, quod prima parte eo verbo vsa esset.

16 ¶ Cæ

16 ¶ Cæterum placuit, ita demum directam ex hac lege actionem esse, si quis præcipue corpore suo damnum dederit. Ideoque in eum, qui alio modo damnum dederit, vtiles actiones dari solent. veluti si quis hominem alienum, aut pecus ita incluserit, vt fame necaretur: aut iumentum ita vehementer egerit, vt rumperetur: aut pecus in tantum exagitauerit, vt præcipitaretur: aut si quis alieno seruo persuaserit, vt in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, & is ascendendo, vel descendendo, aut mortuus, aut aliqua parte corporis læsus fuerit, vtilis actio in eum datur. Sed si quis alienum seruum [aut] de ponte aut de ripa in flumen deiecerit, & is suffocatus fuerit: eo, quod proiecit, corpore suo damnum dedisse, non difficulter intelligi potest: ideoque ipsa lege Aquilia tenetur. Sed si non corpore damnum fuerit datum, neque corpus læsum fuerit, sed alio modo alicui damnum contigerit: quum non sufficiat, neque directa, neque vtilis legis Aquiliæ actio: placuit eum, qui obnoxius fuerit, in factum actione teneri: veluti si quis misericordia ductus alienum seruum compeditum soluerit, vt fugeret.

DE INIVRIIS.

TIT. IV.

GEneraliter iniuria dicitur omne, quod non iure fit. specialiter, alias contumelia, quæ à contemnendo dicta est, quam Græci ὕβριν appellant: alias culpa, quam Græci ἁμάρτημα dicunt, sicut in lege Aquilia damnum iniuria datum accipitur: alias iniquitas & iniustitia, quã Græci [ἀνομίαν καὶ] ἀδικίαν vocant. cum enim prætor vel iudex non iure contra quem pronuntiat: iniuriam accepisse dicitur.

a ¶ Iniuria autem committitur non solum

lum cum quis pugno pulsatus, aut fustibus cæsus, vel etiam verberatus erit: sed & si cui conuicium factum fuerit, siue cuius bona quasi debitoris, qui nihil deberet, possessa fuerint ab eo, qui intelligebat nihil eum sibi debere: vel si quis ad infamiam alicuius libellum, aut carmen, [aut historiam] scripserit, composuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret: siue quis matremfamilias, aut prætextatũ, prætextatamve adsectatus fuerit: siue cuius pudicitia attentata esse dicetur: & denique aliis plurimis modis admiti iniuriam manifestum est.

2 ¶ Patitur autem quis iniuriam non solum per semetipsum, sed [etiam] per liberos suos, quos in potestate habet: itemque per vxorem suam, id enim magis præualuit. Itaque si filiæ alicuius, quæ Titio nupta est, iniuriam feceris: non solum filiæ nomine tecum iniuriarum agi potest, sed etiam patris quoque & mariti nomine. Contra autem, si viro iniuria facta sit: vxor iniuriarum agere non potest. Defendi enim vxores à viris, non viros ab vxoribus, æquum est. Sed & socer nurus nomine, cuius vir in [eius] potestate est, iniuriarum agere potest.

3 ¶ Seruis autem ipsis quidem nulla iniuria fieri intelligitur, sed domino fieri per eos videtur, non tamen iisdem modis, quibus etiam per liberos & vxores: sed ita, cum quid atrocius commissum fuerit, & quod aperte ad contumeliam domini respicit: veluti si quis alienum seruum [atrociter] verberauerit, & in hunc casum actio proponitur. At si quis seruo conuicium fecerit, vel pugno eum percusserit, nulla in eum actio domino competit.

4 ¶ Si communi seruo iniuria facta sit: æquum est, non pro ea parte, qua dominus quisque est, æstimationem iniuriæ fieri, sed ex

ex dominorum persona, quia ipsis fit iniuria.

5 ¶ Quod si vsusfructus in seruo Titij est, proprietas Mœuij: magis Mœuio iniuria fieri intelligitur.

6 ¶ Sed si liberos homini, qui tibi bona fide seruit, iniuria facta sit: nulla tibi actio dabitur, sed suo nomine is experiri poterit, nisi in contumeliam tuam pulsatus sit, tunc enim competit & tibi iniuriarum actio. Idem ergo est & in seruo alieno bona fide tibi seruiente, vt totiens admittatur iniuriarum actio, quotiens in tuam contumeliam iniuria ei facta sit.

7 ¶ Pœna autem iniuriarum ex lege duodecim tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os vero fractum nummariæ pœnæ erant constitutæ, quasi in magna veterum paupertate. Sed postea prætores permittebant ipsis, qui iniuriam passi sunt, eam æstimare, vt iudex vel tanti [reum] condemnet, quanti iniuriam passus æstimauerit, vel minoris, prout ei visum fuerit. Sed pœna quidem iniuriæ, quæ ex lege duodecim tabularum introducta est, in desuetudinem abiit. quam autem prætores introduxerunt (quæ etiam honoraria appellatur) in iudiciis frequentatur. Nam secundum gradum dignitatis, vitæque honestatem, crescit aut minuitur æstimatio iniuriæ. qui gradus condemnationis, & in seruili persona non immerito seruatur: vt aliud in seruo actore, aliud in medij actus homine, aliud in vilissimo vel compedito ius [æstimationis] constituatur.

8 ¶ Sed & lex Cornelia de iniuriis loquitur, & iniuriarum actionem introduxit, quæ competit ob eam rē, quod se pulsatum quis, verberatumve, vel domum suam vi introitam esse dicat. Domum autem accipimus, siue in propria domo quis habitet, siue in cōducta, siue gratis, siue hospitio receptus sit,

9 ¶ Atrox iniuria æstimatur vel ex facto, veluti si quis ab alio vulneratus sit, vel fustibus cæsus, vel ex loco: veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in cõspectu prætoris iniuria facta sit. vel ex persona: veluti si magistratus iniuriam passus fuerit. vel si senatori ab humili persona iniuria facta sit, aut pãtri patronove fiat à liberis vel libertis. Aliter enim senatoris & parentis patronique, aliter extranei & humilis personæ iniuria æstimatur. Nonnunquam & locus vulneris atrocem iniuriam facit, veluti si in oculo quis percussus fuerit. Parui autem refert, vtrum patrifamilias an filiofamilias talis iniuria facta sit: nã & hæc atrox iniuria æstimabitur.

10 ¶ In summa sciendum est, de omni iniuria eũ, qui passus est, posse vel criminaliter agere vel ciuiliter. Et si quidem ciuiliter agitur, æstimatione facta secundum quod dictum est, pœna reo imponitur. Sin autem criminaliter: officio iudicis extraordinaria pœna reo irrogatur: hoc videlicet obseruando, quod Zenoniana constitutio introduxit, vt viri illustres, quique super eos sunt, & per procuratores possint actionem iniuriarum criminaliter vel persequi vel suscipere, secundum eius tenorem, qui ex ipsa manifestius apparet.

11 ¶ Non solum autem is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, id est, qui percussit: verum ille quoque tenetur, qui dolo fecit [iniuriam,] vel qui procurauit, vt cui mala pugno percuteretur.

12 ¶ Hæc actio dissimulatione aboletur: & ideo si quis iniuriam dereliquerit, hoc est, statim passus ad animum suum non reuocauerit: postea ex pœnitentia remissam iniuriam non poterit recolere.

DE

DE OBLIGATIONIBVS, QVAE quasi ex delicto nascuntur.

TIT. V.

SI iudex litem suam fecerit: non proprie ex maleficio obligatus videtur. sed quia neque ex maleficio, neque ex contractu obligatus est, & vtique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam: ideo videtur quasi ex maleficio teneri, & in quantum de ea re æquum religioni iudicantis videbitur, pœnam sustinebit.

1 ¶ Item is, ex cuius cœnaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, deiectum effusumve aliquid est, ita vt alicui noceret: quasi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideo autem non proprie ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur, aut serui, aut liberi. Cui similis est is, qui ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest (si ceciderit) alicui nocere: quo casu pœna decem aureorū constituta est. Ita eo vero, quod deiectum effusumve est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio. Ob hominem vero liberum occisum, quinquaginta aureorum pœna constituitur. Si vero viuat, nocitumque ei esse dicatur: quantum ob eam rem æquum iudici videtur, actio datur. Iudex enim computare debet, mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operas, quibus caruit aut cariturus est ob id, quod inutilis est factus.

2 ¶ Si filiusfamilias feorsum à patre habitauerit, & quid ex cœnaculo eius deiectum effusumve fuerit, siue quid positum suspensumve habuerit, cuius casus periculosus est: Iuliano placuit in patrem nullam [esse] actionem, sed cum ipso filio agendum esse. Quod & in filiofamilias iudice obseruandum est, qui litem suam fecerit.

3 ¶ Item exercitor nauis aut cauponæ aut

stabuli de dolo aut furto, quod in naui aut caupona aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur, si modo ipsius nullum est maleficium, sed alicuius eorum, quorum opera nauem aut cauponam aut stabulum exercet. Cum enim neque ex maleficio, neque ex contractu sit aduersus eum constituta hîc actio, & aliquatenus culpæ reus est, quod opera malorum hominum vteretur. ideo quasi ex maleficio teneri videtur. In his autem casibus in factum actio competit, quæ heredi quidem datur, aduersus heredem autem non competit.

DE ACTIONIBVS.

TIT. VI.

SVperest, vt de actionibus loquamur. Actio autem nihil aliud est, quam ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur.

1 ¶ Omnium autem actionum, quibus inter aliquos apud iudices arbitrosve de quacunque re quæritur, summa diuisio in duo genera deducitur, aut enim in rem sunt, aut in personam. Namque agit vnusquisque aut cum eo qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio: quo casu proditæ sunt actiones in personam, per quas intendit aduersarium ei dare aut facere oportere, & aliis quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo iure ei obligatus est, mouet tamen alicui de aliqua re controuersiam. quo casu proditæ actiones in rem sunt: veluti si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum eius se esse dicat. nam si Titius suam esse intendat: in rem actio est.

2 ¶ Aeque si agat [quis,] ius sibi esse fundo forte vel ædibus vtendi fruendi, vel per fundum vicini eundi agendi, vel ex fundo vicini aquam ducendi: in rem actio est. Eiusdem generis est actio de iure prædiorum vrbanorum: veluti si [quis] agat ius sibi esse altius ædes suas tollendi prospiciendive, vel projiciendi

ficiendi aliquid, vel immittendi tignum in vicini ædes. Contra quoque de vsufructu, & de seruitutibus prediorum rusticorum, item prædiorum vrbanorum, inuicem quoque proditæ sunt actiones: vt si quis intendat ius non esse aduersario vtendi fruendi: eundi agendi, aquamve ducendi: item altius tollendi prospiciendi ve, vel proiiciendi immittendive: istæ quoque actiones in rem sunt, sed negatiuæ. Quod genus actionis in controuersiis rerum corporalium proditū non est. Nam in his is agit, qui non possidet: ei vero, qui possidet, non est actio prodita, per quam neget rem actoris esse. Sane vno casu, qui possidet, nihilominus [is] actoris partes obtinet, ficut in latioribus Digestorum libris opportunius apparebit.

3 ¶ Sed istæ quidem actiones, quarū mentionem habuimus, & si quæ sunt similes, ex legitimis & ciuilibus causis descendunt. Aliæ autem sunt, quas prætor ex sua iurisdictione comparatas habet tam in rem, quam in personam, quas & ipsas necessarium est exemplis ostendere: [vt]ecce, Plerumque ita permittit [prætor] in rem agere, vt vel actor dicat se quasi vsucepisse, quod non vsucepe-rit: vel ex diuerso possessor dicat aduersarium suum non vsucepisse, quod vsuceperit.

4 ¶ Namque si cui ex iusta causa res aliqua tradita fuerit (veluti ex causa emptionis, aut donationis, aut dotis, aut legatorū) [&] necdum eius rei dominus effectus est: si eius rei possessionem casu amiserit, nullam habet in rem directam actionem ad eam persequendam: quippe ita proditæ sunt iure ciuili actiones, vt quis dominium suum vindicet. sed quia sane durum erat, eo casu deficere actionem: inuenta est à prætore actio, in qua dicit is qui possessionem amisit, eam rem se vsucepisse, quam vsu non cepit, & ita vindicat suam esse: quæ actio Publiciana appellatur, quoniam primum à Publicio

blicio prætore in edicto proposita est.

5 ¶ Rursus ex diuerso, si quis cum Reipublicæ causa abesset, vel in hostium potestate esset, rem eius, qui in ciuitate esset, vsucepe-rit: permittitur domino, si possessor reipublicæ causa abesse desierit, tunc intra annum rescissa vsucapione eam petere: id est, ita pe-tere, vt dicat possessorem vsu non cepisse, & ob id suam rem esse. Quod genus actionis quibusdam & aliis simili æquitate motus prætor adcommodat, sicut ex latiore Dige-storum seu Pandectarum volumine intelli-gere licet.

6 ¶ Item si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit: bonis eius à cre-ditoribus possessis, ex sententia præsidis permittitur ipsis creditoribus, rescissa tra-ditione, eam rem petere, id est, dicere eam rem traditam non esse, & ob id in bonis de-bitoris mansisse.

7 ¶ Item Seruiana & quasi Seruiana (quæ etiam hypothecaria vocatur) ex ipsius præ-toris iurisdictione substantiam capiunt. Ser-uiana autē experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris iure pro mercedibus fundi ei tenentur. Quasi Seruiana autem est, qua cre-ditores pignora hypothecasve persequuntur. inter pignus autem & hypothecam (quan-tum ad actionem hypothecariam attinet) nihil interest. nam de qua re inter credito-rem & debitorem conuenerit, vt sit pro de-bito obligata: vtraque hac appellatione cō-tinetur. sed in aliis differentia est. Nam pi-gnoris appellatione eam proprie rem con-tineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam quæ sine traditione, nuda conuentione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus.

8 ¶ In personam quoque actiones ex sua iurisdictione proposuit habet prætor: vel-uti de pecuniæ constituta, cui similis videba-

tur

tur receptitia. Sed ex noſtra conſtitutione (cũ[&]ſi quid plenius habebat,hoc in actionem pecuniæ conſtitutæ transfuſum eſt)[&] ea quaſi ſuperuacua iuſſa eſt cum ſua auctoritate à noſtris legibus recedere. Item prætor propoſuit actionẽ de peculio ſeruorum, filiorumque familiarum:& eam,ex qua quæritur,an actor iurauerit,& alias complures.

9 ¶ De conſtituta autem pecunia cum omnibus agitur,quicumque pro ſe vel pro alio ſoluturos ſe conſtituerint: nulla ſcilicet ſtipulatione interpoſita. Nam alioqui ſi ſtipulanti promiſerint,iure ciuili tenentur.

10 ¶ Actiones autem de peculio, ideo adnerſus patrẽ dominumve comparauit prætor: quia licet ex contractu filiorum ſeruorumve ipſo iure non teneantur: æquum tamen eſt peculio tenus (quod veluti patrimonium eſt filiorum filiarumque, item ſeruorum)condemnari eos.

11 ¶ Item ſi quis poſtulante aduerſario iurauerit, deberi ſibi pecuniam,quam peteret, neque ei ſoluatur:iuſtiſsime accommodat ei talem actionem, per quam non illud quæritur, an ei pecunia debeatur,ſed an iurauerit.

12 ¶ Pœnales quoque actiones prætor multas ex ſua iuriſdictione introduxit: veluti aduerſus eum qui quid ex albo eius corrupiſſet:& in eum,qui patronum vel parentem in ius vocaſſet, cum id non impetraſſet: item aduerſus eum, qui vi exemerit eum,qui in ius vocaretur,cuiusve dolo alius exemerit,& alias innumerabiles.

13 ¶ Præiudiciales actiones in rem eſſe videntur: quales ſunt per quas quæritur, an aliquis liber, an libertus ſit, vel de partu agnoſcendo. Ex quibus fere vna illa legitimam cauſam habet,per quam quæritur, an aliquis liber ſit. cæteræ ex ipſius prætoris iuriſdictione ſubſtantiam capiunt.

14 ¶ Sic itaque diſcretis actionibus, cer-

cum est, non posse actorem suam rem ita ab aliquo petere, *si apparet eum dare oportere.* Nec enim quod actoris est, id ei dari oportet: scilicet quia dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, vt eius fiat. Nec res quæ [iam] actoris est, magis eius fieri potest. Plane odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum est, vt extra pœnam dupli aut quadrupli, rei recipiendæ nomine fures etiam hac actione teneantur, *si apparebit eos dare oportere:* quâuis sit aduersus eos etiam [hæc] in rem actio per quam rem suam quis esse petit.

15 ¶ Appellamus autem in rem quidem actiones, vindicationes: in personam vero actiones, quibus dare aut facere oportere intenditur, condictiones. Condicere enim est denuntiare prisca lingua, nunc vero abusiue dicimus condictionem actionem in personam esse, qua actor intendit dari sibi oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denuntiatio fit.

16 ¶ Sequens illa diuisio est, quod quædam actiones rei persequendæ gratia comparatæ sunt, quædam pœnæ persequendæ, quædam mistæ sunt.

17 ¶ Rei persequendæ causa comparatæ sunt omnes in rem actiones. Earum vero actionum, quæ in personam sunt, eæ quidem, quæ ex contractu nascuntur, fere omnes rei persequendæ causa comparatæ videntur: veluti quibus mutuam pecuniam, vel in stipulatum deductã petit actor, item commodati, depositi, mandati, pro socio, ex empto, vendito, locato, conducto. Plane si depositi agatur eo nomine, quod tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causa depositum fit: in duplum actionem prætor reddit: si modo cum ipso, apud quem depositum fit, aut cum herede eius de dolo ipsius agitur, quo casu mista est actio.

18 ¶ Ex maleficiis vero proditæ actiones, aliæ

aliæ tantum pœnæ persequendæ causa comparatæ sunt: aliæ tam pœnæ, quam rei persequendæ, & ob id mistæ sunt. Pœnam tantũ persequitur quis actione furti. siue enim manifesti agatur quadrupli, siue non manifesti dupli: de sola pœna agitur. nam ipsam rem propria actione persequitur quis, id est, suam esse petens: siue fur ipse eam rem possideat, siue alius quilibet. Eo amplius aduersus furem etiam condictio est [rei.]

19 ¶ Vi autem bonorum raptorum actio, mista est: quia in quadruplo rei persecutio continetur: pœna autem tripli est. Sed & legis Aquiliæ actio de damno iniuria [dato,] mista est. non solum si aduersus inficiantem in duplum agatur, sed interdum & si in simplum quisque agat: veluti si quis hominem claudum aut luscũ occiderit, qui in eo anno integer & magni pretij fuerit: tanti enim dãnatur, quanti is homo eo in anno plurimi fuerit, secundum iam traditam diuisionem. Item mista est actio contra eos, qui relicta sacrosanctis ecclesiis, vel aliis venerabilibus locis, legati vel fideicommissi nomine, dare distulerint: vsque adeo, vt etiam in iudicium vocarentur. tunc enim & ipsam rem vel pecuniam, quæ relicta est, dare compelluntur, & aliud tantum pro pœna, & ideo in duplum eius fit condemnatio.

20 ¶ Quædam actiones mistam causam obtinere videntur, tam in rem quam in personam: qualis est familiæ erciscundæ actio, quę competit coheredibus de diuidenda hereditate. Item communi diuidundo, quæ inter eos redditur, inter quos aliquid commune est, vt id diuidatur. Item finium regundorum actio, qua inter eos agitur, qui confines agros habent. In quibus tribus iudiciis permittitur iudici rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adiudicare: & si vnius pars prægrauari videbitur, eũ inuicem certa pecunia alteri condemnare.

21 ¶ Omnes autem actiones, vel in simplum conceptæ sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. vlterius autem nulla actio extenditur.

22 ¶ In simplum agitur: veluti ex stipulatione, & mutui datione, ex empto, vendito, locato, conducto, mandato, & denique ex aliis quam plurimis causis.

23 ¶ In duplum agimus: veluti furti nec manifesti, damni iniuriæ, ex lege Aquilia, depositi ex quibusdam causis. Item serui corrupti: quæ competit in eũ, cuius hortatu consiliove seruus alienus fugerit, aut contumax aduersus dominum factus est, aut luxuriose viuere cœperit, aut denique quolibet modo deterior factus sit. In qua actione earum etiam rerum, quas fugiendo seruus abstulerit, æstimatio deducitur. Item ex legato, quod venerabilibus locis relictum est, secundum ea, quæ supra diximus.

24 ¶ Tripli vero [agimus,] cum quidam maiorem vera æstimatione quantitatem in libello conuentionis inserunt, vt ex hac causa viatores, id est, executores litiũ, ampliorem summam sportularum nomine exigerent. tunc enim id, quod propter eorũ causam damnum passus fuerit reus, [in]triplum ab actore cõsequetur: vt in hoc triplo etiam simplum, in quo damnum passus est, connumeretur. Quod nostra constitutio introduxit, quæ in nostro Codice fulget, quam proculdubio certum est ex lege condictitia emanare.

25 ¶ Quadrupli autem agitur, veluti furti manifesti: item de eo, quod metus causa factum sit, deque ea pecunia, quæ in hoc data sit, vt is cui datur calumniæ causa, negotium alicui faceret, vel non faceret. Item, ex lege condictitia nostra cõstitutio oritur, in quadruplum condemnationẽ imponens iis executoribus litium, qui cõtra nostræ constitutionis normam à reis quicquam exegerint.

26 ¶ Sed

26 ¶ Sed furti quidem nec manifesti actio, & serui corrupti, à cæteris, de quibus simul locuti sumus, eo differunt, quod hæ actiones omnimodo dupli sunt. at illæ, id est, damni iniuriæ ex lege Aquilia, & interdum depositi, inficiatione duplicantur, in confitentem autem in simplum dantur. Sed illa, quæ de his competit, quæ relicta venerabilibus locis sunt, non solum inficiatione duplicatur, sed etiam si distulerit relicti solutionem vsquequo iussu magistratuum [nostrorum] conueniatur. In confitentem vero, ante quam iussu magistratuum conueniatur, soluentem simpli redditur.

27 ¶ Item, actio de eo quod metus causa factum sit, à cæteris, de quibus simul locuti sumus, eo differt: quod eius natura tacite continetur. vt qui iudicis iussu ipsam rem actori restituat, absoluatur: quod in cæteris casibus non est ita: sed omnimodo quisque in quadruplum condemnatur, quod est & in furti manifesti actione.

28 ¶ Actionum autem quædam bonæ fidei sunt: quædam stricti iuris. Bonę fidei sunt hæ: ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ erciscundæ, communi diuidundo, præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, & ea quæ ex permutatione competit, & hereditatis petitio. Quamuis enim vsque adhuc incertum erat, inter bonæ fidei iudicia connumeranda hereditatis petitio esset, an non. nostra tamen constitutio aperte eam esse bonæ fidei disposuit.

29 ¶ Fuerat antea & rei vxoriæ actio vna ex bonæ fidei iudiciis: sed cũ pleniorem esse ex stipulatu actionem inuenientes, omne ius, quod res vxoria antea habebat, cum multis diuisionibus in actionem ex stipulatu, quæ de dotibus exigendis proponitur, transtulerimus, merito rei vxoriæ actione sublata,

sublata, ex stipulatu [actio,] quæ pro ea introducta est, naturam bonæ fidei iudicij tantum in exactione dotis meruit, vt bonæ fidei sit. [Sed] & tacitam ei dedimus hypothecam. Præferri autem aliis creditoribus in hypothecis tunc censuimus, cum ipsa mulier de dote sua experiatur, cuius solius prouidentia hoc induximus.

30 ¶ In bonæ fidei iudiciis libera potestas permitti videtur iudici ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat. In quo & illud continetur, vt si quid inuicem præstare actorem oporteat: eo compensato in reliquum is, cum quo actum est, debeat condemnari. Sed & in stricti iuris iudiciis ex rescripto diui Marci opposita doli mali exceptione, compensatio inducebatur. Sed nostra cõstitutio easdem compensationes, quæ iure aperto nituntur, latius introduxit, vt actiones ipso iure minuant, siue in rem, siue in personam, siue alias quascũque: excepta sola depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi, sane iniquum esse credimus: ne sub prætextu compensationis, depositarum rerum quis exactione defraudetur.

31 ¶ Præterea quasdam actiones arbitrarias, id est, ex arbitrio iudicis pendentes appellamus, in quibus, nisi arbitrio iudicis is, cum quo agitur, actori satisfaciat: veluti rem restituat, vel exhibeat, vel soluat, vel ex noxali causa seruum dedat: condemnari debeat. Sed istæ actiones, tam in rem, quam in personam inueniuntur. In rem, veluti Publiciana, Seruiana de rebus coloni, quasi Seruiana, quæ etiam hypothecaria vocatur. In personam, veluti quibus de eo agitur, quod [vi] aut metus causa, aut dolo malo factum est. Item cum id, quod certo loco promissum est, petitur. Ad exhibendum quoque actio ex arbitrio iudicis pendet. In his enim actionibus & cæteris similibus, permittitur

iudici

iudici ex bono & æquo, secundum cuiusque rei, de qua actum est, naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat.

32 ¶ Curare autem debet iudex, vt omnino, quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat: etiam si de incerta quantitate apud eum actum est.

33 ¶ Si quis agens, [in] intentione sua plus complexus fuerit, quam ad eum pertineat: à causa cadebat, id est, rem amittebat: nec facile in integrum restituebatur à prætore, nisi minor erat viginti quinque annis. Huic enim, sicut in aliis causis, causa cognita succurrebatur, si lapsus iuuentute fuerat: ita & in hac causa succurri solitum erat. Sane si tam magna causa iusti erroris interueniebat, vt etiam constantissimus quisque labi posset, etiam maiori viginti quinque annis succurrebatur. veluti si quis totum legatum petierit: post deinde prolati fuerint codicilli, quibus aut pars legati adempta sit, aut quibusdam aliis legata data sint, quæ efficiebant, vt plus petiisse videretur petitor, quam dodrantem, atque ideo lege Falcidia legata minuebantur. Plus autem quatuor modis petitur: re, tempore, loco, [&] causa. Re, veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit: aut si is, cuius ex parte res est, totam eam, vel maiorem partem suam esse intenderit. Tempore: veluti si quis ante diem, vel [ante] conditionem petierit. Qua enim ratione qui tardius soluit, quam soluere deberet, minus soluere intelligitur: eadem ratione, qui præmature petit, plus petere videtur. Loco plus petitur: veluti cum quis id, quod certo loco sibi [dari] stipulatus est, alio loco petit, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus est: verbi gratia, si is, qui ita stipulatus fuerit, *Ephesi dare spondes?* Romæ pure intendat sibi dari oportere. Ideo autem plus petere intelligitur: quia vtilitatem, quam haberet promissor,

promissor, si Ephesi solueret, adimit ei pura intentione. Propter quam causam alio loco petenti arbitraria actio proponitur: in qua scilicet ratio habetur vtilitatis, quæ promissori competitura fuisset, si illo loco solueret, quo se soluturum spopondit. Quæ vtilitas plerunque in mercibus maxima inuenitur: veluti vino, oleo, frumento: quæ per singulas regiones diuersa habent pretia. Sed & pecuniæ numeratæ non in omnibus regionibus sub eisdem vsuris fœnerantur. Si quis tamen Ephesi petat, id est, eo loco petat, quo vt sibi detur stipulatus est: pura actione recte agit: idque etiam prætor monstrat: scilicet quia vtilitas soluendi salua est promissori. Huic autem, qui loco plus petere intelligitur, proximus est is, qui causa plus petit. vt ecce, si quis ita à te stipuletur, *Hominem Stichum, aut decem aureos dare spondes?* deinde alterum petat, veluti hominem tantum aut decem aureos tantum. Ideo autem plus petere intelligitur, quia in eo genere stipulationis promissoris est electio, vtrum pecuniam, an hominem soluere malit. Qui igitur pecuniam tantum, vel hominem tantum sibi dari oportere intendit, eripit electionē aduersario: & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit, aduersarij verò sui deteriorem. Qua de causa talis in ea re prodita est actio, *vt quis intendat hominem Stichum, aut aureos decem sibi dari oportere*: id est, vt eodem modo peteret, quo stipulatus est. Præterea, si quis generaliter hominem stipulatus sit, & specialiter Stichum petat: aut generaliter vinum stipulatus sit, & specialiter Campanum petat: aut generaliter purpuram stipulatus sit, deinde specialiter Tyriam petat: plus petere intelligitur: quia electionem aduersario tollit, cui stipulationis iure liberum fuit, aliud soluere, quam quod peteretur. Quinetiam licet vtilissimum sit, quod quis petat, nihilominus plus petere intelli

intelligitur: quia sæpe accidit, vt promissori facilius sit illud soluere, quod maioris pretij est. Sed hæc quidem antea in vsu fuerant: postea vero lex Zenoniana & nostra rem coarctauit. Et si quidem tempore plus fuerit petitum: quid statui oporteat, Zenonis diuæ memoriæ loquitur constitutio: sin autem quantitate, vel alio modo plus fuerit petitum: [in]omne, si quod forte damnum ex hac causa acciderit ei, contra quem plus petitum fuerit, commissa tripli condemnatione (sicuti supra diximus) puniatur.

34 ¶ Si minus in intētione sua complexus fuerit actor, quam ad eum pertineat: veluti si cum ei decem [aurei] deberentur, quinque sibi dari oportere intenderit: aut [si] cum totus fundus eius esset, partem dimidiam suam esse petierit: sine periculo agit. in reliquum enim nihilominus iudex aduersarium in eodem iudicio [ei] condemnat, ex constitutione diuæ memoriæ Zenonis.

35 ¶ Si quis aliud pro alio intenderit: nihil eum periclitari placet, sed in eodem iudicio, cognita veritate, errorem suum corrigere [ei] permittitur: veluti si is, qui hominem Stichum petere deberet, Erotem petierit: aut si quis ex testamento dari sibi oportere intenderit, quod ex stipulatu debetur.

36 ¶ Sunt præterea quædam actiones, quibus non [semper] solidum, quod nobis debetur, persequimur: sed modo solidum persequimur, modo minus: vt ecce, si in peculium filij seruiue agamus. Nam si non minus in peculio sit, quam persequimur: in solidum dominus paterve condemnatur: si vero minus inueniatur: eatenus condemnat iudex, quatenus in peculio sit. Quemadmodum autem peculium intelligi debeat, suo ordine proponemus.

37 ¶ Item si de dote [in] iudicio mulier agat: placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus facere possit, id est, quatenus

nus facultates eius patiuntur. Itaque si dotis quantitati concurrant facultates eius, in solidum damnatur: si minus, in tantum, quantum facere potest. Propter retentionem quoque dotis repetitio minuitur. Nam ob impensas in res dotales factas, marito [quasi] retentio concessa est: quia ipso iure necessariis sumptibus dos minuitur, sicut ex latioribus Digestorum libris cognoscere licet.

38 ¶ Sed & si quis cum parente suo patronove agat: item si socius cum socio, iudicio societatis agat: non plus actor consequitur, quam aduersarius eius facere potest. Idem est si quis ex donatione sua conueniatur.

39 ¶ Compensationes quoque oppositæ, plerumque efficiunt, vt minus quisque consequatur, quam ei debeatur. Nam ex bono & æquo habita ratione eius, quod inuicem actorem ex eadem causa præstare oportet, in reliquum eum, cum quo actum est [condemnat,] sicuti iam dictum est.

40 ¶ Cum eo quoque qui creditoribus suis bonis cesserit, si postea aliquid acquisierit, quod idoneum emolumentum habeat: ex integro in id, quod facere potest, creditores experiuntur. inhumanum enim erat spoliatum fortunis suis, in solidum damnari.

QVOD CVM EO, QVI IN aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.

TIT. VII.

Via [tamen] superius mentionem habuimus de actione qua in peculium filiorum familiarum seruorumque agitur: opus est, vt de hac actione & de cæteris, quæ eorundem nomine in parentes dominosve dari solent, diligentius admoneamus. Et quia, siue cum seruis negotium gestum sit, siue cum his qui in potestate parentum sunt, eadem fere iura seruantur: ne

ne verbosa fiat disputatio, dirigamus sermonem in personam serui dominique, idem intellecturi de liberis quoque & parentibus quorum in potestate sunt. Nam si quid in his proprie seruetur, separatim ostendemus.

1 ¶ Si igitur iussu domini cum seruo negotium gestum erit: in solidum prætor adversus dominum actionem pollicetur: scilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur.

2 ¶ Eadem ratione prætor duas alias in solidum actiones pollicetur: quarum altera exercitoria, altera institoria appellatur. Exercitoria tunc habet locum, cum quis seruum suum magistrum naui præposuerit, & quid cum eo eius rei gratia, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideo autem exercitoria vocatur, quia exercitor is appellatur, ad quem quotidianus nauis quæstus pertinet. Institoria tunc locum habet, cum quis tabernæ forte, aut cuilibet negotiationi seruum suum præposuerit, & quid cum eo eius rei causa, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideo autem institoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, institores vocantur. Istas tamen duas actiones prætor reddit, & si liberum quis hominem, aut alienum seruum naui, aut tabernæ, aut cuilibet negotiationi præposuerit: scilicet quia eadem æquitatis ratio etiam eo casu interueniat.

3 ¶ Introduxit & aliam actionem prætor quæ tributoria vocatur. Namque si seruus in peculiari merce sciente domino negotietur, & quid cum eo eius rei causa contractum erit: ita prætor ius dicit, vt quicquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, si quid ei debebitur, & cæteros creditores, pro rata portione distribuatur, & [ideo tributoria vocatur] quia ipsi domino distributionem præ-

tor permittit. Nam si quis ex creditoribus quæratur quasi minus ei tributum sit, quam oportuerit, hanc ei actionem accommodat, quæ tributoria appellatur.

4 ¶ Præterea introducta est actio de peculio, deque eo, quod in rem domini versum erit: vt quamuis sine voluntate domini negotium gestum erit, tamen siue quid in rem eius versum fuerit, id totum præstare debeat: siue quid nó sit in rem eius versum, id eatenus præstare debeat, quatenus peculium patitur. In rem autem domini versum intelligitur, quicquid necessario in rem eius impenderit seruus: veluti si mutuatus pecuniam creditoribus eius soluerit, aut ædificia ruentia fulserit, aut familiæ frumentum emerit, vel etiam fundum, aut quamlibet aliam rem necessariam mercatus erit. Itaque si ex decem puta aureis, quos seruus tuus à Titio mutuo accepit, creditori tuo quinque aureos soluerit, reliquos vero quinque quolibet modo consumpserit: pro quinque [quidem] in solidum damnari debes: pro cæteris vero quinque eatenus, quatenus in peculio sit. Ex quo scilicet appareat, si toti decem aurei in rem tuam versi fuerint, totos decem aureos Titium consequi posse. Licet enim vna est actio qua de peculio, deque eo, quod in rem domini versum sit, agitur: tamen duas habet condemnationes. Itaque iudex, apud quem de ea actione agitur, ante dispicere solet, an in rem domini versum sit: nec aliter ad peculij æstimationem transit, quam aut nihil in rem domini versum intelligatur, aut non totum. Cum autem quæritur, quantum in peculio sit: ante deducitur, quidquid seruus domino, cive, qui in potestate eius sit, debet: & quod supereſt id solum peculium intelligitur. Aliquando tamen id, quod ei debet seruus, qui in potestate domini sit, non deducitur ex peculio: veluti si is in ipsius pecu-

peculio sit. quod eo pertinet, vt si quid vicario suo seruus debeat: id ex peculio eius non deducatur.

5 ¶ Cæterum dubium non est, quin is quoque qui iussu domini contraxerit, cuique institoria vel exercitoria actio competit: de peculio, deque eo, quod in rem domini versum est, agere possit. Sed erit stultissimus, si omissa actione, qua facillime solidum ex contractu consequi possit: se ad difficultatem perducat probandi in rem domini versum esse, vel habere seruum peculium & tantum habere, vt solidum sibi solui possit. Is quoque, cui tributoria actio competit, æque de peculio & de in rem verso agere potest. Sed sane huic modo tributoria expedit agere, modo de peculio, & de in rem verso. Tributoria ideo expedit agere, quia in ea domini conditio præcipua non est, id est, quod domino debetur, non deducitur, sed eiusdem iuris est dominus, cuius & cæteri creditores. At in actione de peculio ante deducitur, quod domino debetur: & in id, quod reliquum est, creditori dominus condemnatur. Rursus de peculio ideo expedit agere, quod in hac actione totius peculij ratio habetur: at in tributoria eius tantum, quo negotiatur. Et potest quisque tertia forte parte peculij, aut quarta, vel etiam minima negotiari: maiorem autem partem in prædiis vel mancipiis, aut fœnebri pecunia habere. Prout ergo expedit, ita quisque vel hanc actionem vel illam eligere debet. Certe qui potest probare in rem domini versum esse: de in rem verso agere debet.

6 ¶ Quæ diximus de seruo & domino, eadem intelligimus & de filio & filia, & nepote & nepte, & patre auove, cuius in potestate sunt.

7 ¶ Illud proprie seruatur in eorum persona, quod senatusconsultum Macedonia-

num prohibuit, mutuas pecunias dare eis, qui in potestate parentis sunt: & ei qui crediderit, denegatur actio tam aduersus ipsum filium filiamve, nepotem neptemve (siue adhuc in potestate sint, siue morte parentis, vel emancipatione suæ potestatis esse coeperint) quam aduersus patrem auumve: siue eos habeat adhuc in potestate, siue emancipauerit. Quæ ideo senatus prospexit, quia sæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur.

8 ¶ Illud in summa admonendi sumus, id, quod iussu patris dominiue cõtractum fuerit, quodque in rem eius versum erit: direcõ quoque posse à patre dominoue cõdici, tanquam si principaliter cum ipso negotium gestum esset. Ei quoque, qui exercitoria vel institoria actione tenetur, directo posse condici placet: quia huius quoque iussu contractum intelligitur.

DE NOXALIBVS actionibus.

Tit. VIII.

EX maleficiis seruorum: veluti si furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut iniuriam commiserint: noxales actiones proditæ sunt, quibus domino damnato permittitur, aut litis æstimationem sufferre, aut ipsum hominem noxæ dedere.

1 ¶ Noxa autem, est [ipsum] corpus quod nocuit, id est, seruus: noxia ipsum maleficium, veluti furtum, damnum, rapina, iniuria.

2 ¶ Summa autem ratione permissum est noxæ deditione fungi. Namque erat iniquum nequitiam eorum vltra ipsorum corpora dominis damnosam esse.

3 ¶ Dominus noxali iudicio serui sui nomine conuentus, seruum actori noxæ

deden

dedendo liberatur: nec minus in perpetuum eius serui dominium à domino transfertur. Sin autem damnum ei, cui deditus est, [seruus] refarcierit quæsita pecunia: auxilio prætoris inuito domino manumittetur.

4 ¶ Sunt autem constitutæ noxales actiones aut legibus, aut edicto prætoris. Legibus: veluti furti ex lege duodecim tabularum, damni iniuriæ ex lege Aquilia. Edicto prætoris: veluti iniuriarum, & vi bonorum raptorum.

5 ¶ Omnis autem noxalis actio caput sequitur. Nam si seruus tuus noxam commiserit: quamdiu in tua potestate sit, tecum est actio. Si autem in alterius potestatem peruenerit: cum illo incipit actio esse. At si manumissus fuerit: directo ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio. Ex diuerso quoque directa actio noxalis esse incipit. Nam si liber homo noxiam commiserit, & is seruus tuus esse cœperit (quod quibusdam casibus effici primo libro tradidimus) incipit tecum esse noxalis actio, quæ ante directa fuisset.

6 ¶ Si seruus domino noxiam commiserit: actio nulla nascitur. Namque inter dominum & eum, qui in potestate eius est, nulla obligatio nasci potest. Ideoque & si in alienam potestatem seruus peruenerit, aut manumissus fuerit: neque cum ipso, neque cum eo, cuius nunc in potestate sit, agi potest. Vnde si alienus seruus noxiam tibi commiserit, & is postea in potestate tua esse cœperit, interdicitur actio: quia in eum casum deducta sit, in quo consistere non potuit. Ideoque licet exierit de tua potestate, agere non potes: quemadmodum si dominus in seruum suum aliquid commiserit, nec si manumissus aut alienatus fuerit, seruus vllam actionem contra dominum habere potest.

7 ¶ Sed veteres quidem hoc in filiisfamiliarum masculis & fœminis admisere: nova autem hominum conuersatio huiusmodi asperitatē recte respuēdam esse existimauit, & ab vsu communi hoc penitus recessit. Quis enim patiatur filium suum, & maxime filiam, in noxam alij dare: vt pene per [filij] corpus pater magis, quam filius periclitetur: cum in filiabus etiam pudicitiæ fauor hoc bene excludat? Et ideo placuit in seruos tantummodo noxales actiones esse proponendas: cum apud veteres legum commētatores inuenerimus sæpius dictum, ipsos filios familiarum pro suis delictis posse conueniri.

SI QVADRVPES PAVPERIEM fecisse dicatur.

TIT. IX.

ANimalium nomine quæ ratione carēt, si qua lasciuia, aut pauore, aut feritate pauperiem fecerint: noxalis actio lege duodecim tabularum prodita est. Quæ animalia si noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex duodecim tabularum scripta est, vt puta, *Si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus [cornu] petierit.* Hæc autem actio in iis, quæ contra naturam mouentur, locum habet. Cæterum si genitalis sit feritas: cessat actio. Denique si vrsus fugerit à domino, & sic nocuerit: non potest quondam dominus conueniri: quia desiit dominus esse, vbi fera euasit. Pauperies autem est damnum sine iniuria facientis datum. Nec enim potest animal iniuriam fecisse dici, quod sensu caret. Hæc quidem ad noxalem pertinet actionem.

1 ¶ Cæterum sciendum est, ædilitio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, vrsum, leonem, ibi habere, qua vulgo iter fit: & si aduersus ea factum erit, & nocitum libero homini esse dicatur: quod bonum & æquum iudici videtur, tanti dominus condemnetur. cæterarum [vero] rerum quanti

Barlachstadt Güstrow http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0226 Mecklenburg Vorpommern

damnum datum sit, dupli. Præter has autem ædilitias actiones, & de pauperie locum habebit. Nunquam enim actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

DE IIS PER QVOS agere possumus.

TIT. X.

NVnc admonendi sumus, agere posse quemlibet hominem, aut suo nomine, aut alieno. Alieno: veluti procuratorio, tutorio, curatorio: cum olim in vsu fuisset alterius nomine agere non posse, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela. Præterea lege Hostilia permissum erat furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut reipublicæ causa abessent, quive in eorum cuius tutela essent. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licebat: cœperunt homines per procuratores litigare. Nam & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio, itemque aliæ multæ causæ sæpe hominibus impedimento sunt, quo minus rem suam ipsi exequi possint.

1 ¶ Procurator neque certis verbis, neque præsente [semper] aduersario, imo plerunque eo ignorante constituitur. Cuicunque enim permiseris rem tuam agere, aut defendere, is tuus procurator intelligitur.

2 ¶ Tutores & curatores quemadmodum constituantur, primo libro expositum est.

DE SATISDATIONIBVS.

TIT. XI.

SAtisdationum modus alius antiquitati placuit, alium nouitas per vsum amplexa est. olim enim si in rem agebatur, satisdare possessor compellebatur, vt si victus [esset], nec rem ipsam restitueret, nec litis æstimationem: potestas esset petitori, aut

cum eo agendi, aut cum fideiussoribus eius, quæ satisdatio appellatur *iudicatum solui*. Vnde autem sic appelletur, facile est intelligere. Namque stipulabatur quis vt solueretur sibi, quod fuisset iudicatum. Multò magis is, qui in rem actione conueniebatur, satisdare cogebatur, si alieno nomine iudicium accipiebat. Ipse autem, qui in rem agebat, si suo nomine petebat, satisdare non cogebatur. Procurator vero si in rem agebat: satisdare iubebatur, rem ratam dominum habiturum. Periculum enim erat, ne iterum dominus de eadem re experiretur. Tutores [vero] & curatores eodem modo, quo & procuratores satisdare debere, verba edicti faciebant: sed aliquando his agentibus satisdatio remittebatur. Hæc ita [erant], si in rem agebatur.

1 ¶ Si vero in personam: ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, qua in rem agitur. ab eius vero parte, cum quo agitur, siquidem alieno nomine aliquis interueniret: omnimodo satisdaret, quia nemo defensor in aliena re sine satisdatione idoneus esse creditur. Quod si proprio nomine aliquis iudicium accipiebat in personam, *iudicatum solui* satisdare non cogebatur.

2 ¶ Sed hodie hæc aliter obseruantur. Siue enim quis in rem actione conuenitur, siue personali suo nomine: nullam satisdationem pro litis æstimatione dare compellitur: sed pro sua tantum persona, quod in iudicio permaneat vsque ad terminum litis, vel committitur suæ promissioni cum iureiurando (quam iuratoriam cautionem vocant) vel nudam promissionem, vel satisdationem pro qualitate personæ suæ dare compellitur.

3 ¶ Sin autem per procuratorem lis vel infertur vel suscipitur: in actoris quidem persona, si non mandatum actis insinuatum est,

est, vel præsens dominus litis in iudicio procuratoris sui personam confirmauerit: ratam rem dominum habiturum satisdationem procurator dare compellitur: eodem obseruando, & si tutor, vel curator, vel aliæ tales personæ, quæ alienarum rerum gubernationem receperunt, litem quibusdam per alium inferunt.

4 ¶ Si vero aliquis conuenitur: si quidem præsens procuratorem dare paratus est: potest vel ipse in iudicium venire, & sui procuratoris personam per *iudicatum solui* satisdationem solenni stipulatione firmare, vel extra iudicium satisdationem exponere, per quam ipse sui procuratoris fideiussor existat pro omnibus *iudicatum solui* satisdationis clausulis. vbi & de hypotheca suarum rerum conuenire compellitur: siue in iudicio promiserit, siue extra iudicium cauerit: vt tam ipse, quam heredes eius obligentur. Alia insuper cautela, vel satisdatione propter personam ipsius exponenda, quod tempore sententiæ recitandæ in iudicium veniet: vel si non venerit, omnia dabit fideiussor, quæ in condemnatione continentur, nisi fuerit prouocatum.

5 ¶ Si vero reus præsto ex quacunque causa non fuerit, & alius velit defensionem eius subire: nulla differentia inter actiones in rem vel personales introducenda, potest hoc facere: ita tamen, vt satisdationem *iudicatum solui*, pro litis æstimatione præstet. Nemo enim secundum veterem regulam (vt iam dictum est) alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus intelligitur.

6 ¶ Quæ omnia apertius & perfectius à quotidiano iudiciorum vsu in ipsis rerum documentis apparent.

7 ¶ Quam formam non solum in hac regia vrbe, sed [etiam] in omnibus nostris prouinciis (etsi propter imperitiam forte aliter celebratur) obtinere censemus: quum ne-

cesse sit, omnes prouincias, caput omnium nostrarum ciuitatum, id est, hanc regiam vrbem, eiusque obseruantiam sequi.

DE PERPETVIS ET TEMPORALIBUS actionibus, & quæ ad heredes & in heredes transeunt.

TIT. XII.

HOc loco admonendi sumus, eas quidem actiones, quæ ex lege senatusve consulto, siue ex sacris constitutionibus proficiscuntur: perpetuo solere antiquitus competere, donec sacræ constitutiones, tam in rem, quam in personam actionibus certos fines dederunt: eas vero, quæ ex propria prætoris iurisdictione pendent, plerumque intra annum viuere: nam & ipsius prætoris, intra annum erat imperium. Aliquando tamen & in perpetuum extenduntur; id est, vsque ad finem ex constitutionibus introductum: quales sunt eæ, quas bonorum possessori, cæterisque qui heredis loco sunt, adcommodat. Furti quoque manifesti actio, quamuis ex ipsius prætoris iurisdictione proficiscatur: tamen perpetuo datur. absurdum enim esse existimauit anno eam terminari.

1 ¶ Non autem omnes actiones quæ in aliquem aut ipso iure competunt, aut à prætore dantur: & in heredem æque competunt, aut dari solent. Est enim certissima iuris regula, ex maleficiis pœnales actiones in heredem [rei] non competere [veluti] furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, damni iniuriæ. Sed heredibus huiusmodi actiones competunt, nec denegantur, excepta iniuriarum actione, & si qua alia similis inueniatur. Aliquando tamen etiam ex contractu actio contra heredem non competit: veluti cum testator doloso versatus sit, & ad heredem eius nihil ex eo dolo peruenit. Pœnales autem actiones, quas supra diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint

rint contestatæ, & heredibus dantur, & contra heredes transeunt.

2 ¶ Supereſt, vt admoneamus, quod ſi ante rem iudicatam is, cum quo actum eſt, ſatisfaciat actori: officio iudicis conuenit eum abſoluere, licet in ea cauſa fuiſſet iudicij accipiendi tempore, vt damnari deberet. & hoc eſt, quod antea vulgo dicebatur, omnia iudicia abſolutoria eſſe.

DE EXCEPTIONIBVS.

TIT. XIII.

SEquitur, vt de exceptionibus diſpiciamus. Comparatæ autem ſunt exceptiones defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur. Sæpe enim accidit, vt licet ipſa perſecutio, qua actor experitur, iuſta ſit: tamen iniqua ſit aduerſus eum, cum quo agitur.

1 ¶ Verbi gratia, ſi metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus, ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras [promittere]: palam eſt, iure ciuili te obligatum eſſe: & actio, qua intenditur dare te oportere, efficax eſt: ſed iniquum eſt te condemnari. Ideoque datur tibi exceptio, quod metus cauſa, aut doli mali, aut in factum compoſita ad impugnandam actionem.

2 ¶ Idem iuris eſt, ſi quis [quaſi] credendi cauſa pecuniam à te ſtipulatus fuerit, neque numerauerit. Nam eam pecuniam à te petere poſſe eum, certum eſt. dare enim te oportet: quum ex ſtipulatione tenearis. Sed quia iniquum eſt, eo nomine te condemnari: placet exceptione pecuniæ nõ numeratæ te defendi debere. cuius tempora nos (ſecundum quod iam ſuperioribus libris ſcriptum eſt) conſtitutione noſtra coarctauimus.

3 ¶ Præterea debitor ſi pactus fuerit cum creditore, ne à ſe pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet: quia pacto

con

conuento obligationes non omnino dissoluuntur: qua de causa efficax est aduersus eum actio, quam actor intendit, *Si apparet eum dare oportere*. sed quia iniquum est, contra pactionem eum condemnari: defenditur per exceptionem pacti conuenti.

4 ¶ Aeque si debitor creditore deferente iurauerit, nihil se dare oportere: adhuc obligatus permanet: sed quia iniquum est de periurio queri: defenditur per exceptionem iurisiurandi. In iis quoque actionibus, quibus in rem agitur, æque necessariæ sunt exceptiones, veluti si petitore deferente possessor iurauerit eam rem suam esse, & nihilominus petitor eandem rem vindicet. licet enim verum sit, quod intendit: id est, rem eius esse: iniquum tamen est possessorem condemnari.

5 ¶ Item si in iudicio tecum actum fuerit, siue in rem, siue in personam: nihilominus obligatio durat: & ideo ipso iure de eadem re postea aduersus te agi potest, sed debes per exceptionem rei iudicatæ adiuuari.

6 ¶ Hæc exempli causa retulisse sufficiat. Alioqui quam ex multis variisque causis exceptiones necessariæ sint: ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris intelligi potest.

7 ¶ Quarum quædam ex legibus, vel ex iis, quæ legis vicem obtinent, vel ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt.

8 ¶ Appellantur autem exceptiones aliæ perpetuæ & peremptoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ.

9 ¶ Perpetuæ & peremptoriæ sunt, quæ semper agentibus obstant, & semper rem, de qua agitur, perimunt: qualis est exceptio doli mali, & quod metus causa factum est, & pacti conuenti, cum ita conuenerit, ne omnino pecunia peteretur.

10 ¶ Tem-

10 ¶ Temporales atque dilatoriæ sunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt: qualis est pacti conuenti, cum ita conuenerit, ne intra certum tempus ageretur, veluti intra quinquennium. nam finito eo tempore non impeditur actor rem exequi. Ergo ij, quibus certum tempus agere volentibus obiicitur exceptio aut pacti conuenti, aut alia similis: differre debent actionem, & post tempus agere. Ideo enim & dilatoriæ istæ exceptiones appellantur. Alioqui si intra tempus egerint, obiectaque sit exceptio: neque eo iudicio quicquam consequebantur, propter exceptionem, neque post tempus olim agere poterant: cum temere rem in iudicium deducebant, & consumebant. qua ratione rem amittebant. Hodie autem non ita stricte hoc procedere volumus, sed eum, qui ante tempus pactionis vel obligationis litem inferre ausus sit, Zenonianæ constitutioni subiacere censemus, quam sacratissimus legislator de iis, qui tempore plus petierint, protulit: vt & inducias, quas ipse actor sponte indulserit, vel quas naturâ actionis continet, si contempserit: in duplum habeant ij, qui talem iniuriam passi sunt: & post eas finitas non aliter litem suscipiant, nisi omnes expensas litis antea acceperint: vt actores tali pœna perterriti, tempora litium doceantur obseruare.

11 ¶ Præterea etiam ex persona sunt dilatoriæ exceptiones, quales sunt procuratoriæ: veluti si per militem aut per mulierem agere quis velit. Nam militibus, nec pro patre, vel matre, vel vxore, nec ex sacro rescripto procuratorio nomine experiri conceditur: suis vero negotiis supersesse sine offensa [militaris] disciplinæ possunt. Eas vero exceptiones, quæ olim procuratoribus propter infamiam vel dantis, vel ipsius procuratoris opponebantur: cum

in

in iudiciis frequentari nullo modo perſpeximus, conquieſcere ſancimus: ne dum de iis altercatur, ipſius negotij diſceptatio proteletur.

DE REPLICATIONIBVS.

TIT. XIV.

INterdum euenit, vt exceptio, quæ prima facie iuſta videtur, [tamen] inique noceat, quod cum accidit: alia allegatione opus eſt, adiuuandi actoris gratia, quæ replicatio vocatur, quia per eam replicatur, atque reſolnitur ius exceptionis: veluti cum pactus eſt aliquis cũ debitore ſuo, ne ab eo pecuniam petat, deinde poſtea in contrarium pacti ſunt, id eſt, vt creditori petere liceat: ſi creditor agat, & excipiat debitor, vt ita demum condemnetur, ſi non conuenerit, ne eam pecuniam creditor petat: noceat ei exceptio. conuenit enim ita. namque nihilominus hoc verum manet, licet poſtea in contrarium pacti ſunt. ſed quia iniquum eſt creditorem excludi, replicatio ei dabitur ex poſteriore pacto conuento.

1 ¶ Rurſus interdum euenit, vt replicatio, quę prima facie iuſta eſt, iniq; noceat, quod cum accidit, alia allegatione opus eſt, adiuuandi rei gratia, quæ duplicatio vocatur.

2 ¶ Et ſi rurſus ea prima facie iuſta videatur, ſed propter aliquam cauſam actori inique noceat: rurſus alia allegatione opus eſt, qua actor adiuuetur: quæ dicitur triplicatio.

3 ¶ Quarum omnium exceptionum vſum interdum vlterius, quam diximus, varietas negotiorum introducit, quas omnes apertius ex Digeſtorum latiore volumine facile eſt cognoſcere.

4 ¶ Exceptiones autem, quibus debitor defenditur, plerumque adcommodari ſolent etiam fideiuſſoribus eius, & recte: quia quod ab iis petitur, id ab ipſo debitore pe-

ri videtur: quia mandati iudicio redditurus est eis, quod [ij] pro eo soluerint. Qua ratione, & si de non petenda pecunia pactus quis cum reo fuerit, placuit perinde succurrendum esse per exceptionem pacti conuenti illis quoque, qui pro eo obligati sunt, ac si etiam cum ipsis pactus esset, ne ab eis ea pecunia peteretur. Sane quędam exceptiones non solent his adcommodari. Ecce enim debitor, si bonis suis cesserit, & cum eo creditor experiatur: defenditur per exceptionem, si bonis cesserit. Sed hæc exceptio fideiussoribus non datur: ideo scilicet, quia qui alios pro debitore obligat, hoc maxime prospicit, vt cum facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab iis, quos pro eo obligauit, suum consequi.

DE INTERDICTIS.

TIT. XV.

SEquitur, vt dispiciamus de interdictis seu actionibus, quę pro his exercentur. Erant autem interdicta formæ atque cōceptiones verborum, quibus prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. quod tunc maxime fiebat, cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur.

1 ¶ Summa autem diuisio interdictorum hęc est: quod aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria sunt, quibus prætor vetat aliquid fieri, veluti vim sine vitio possidenti, vel mortuum inferenti, quo ei ius erat inferendi: vel in sacro loco ædificari, vel in flumine publico ripave eius aliquid fieri, quo peius nauigetur. Restitutoria sunt, quibus restitui aliquid iubet, veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro herede aut pro possessore possidet [ex ea hereditate:] aut cum iubet ei, qui vi de possessione fundi deiectus sit, restitui possessionem. Exhibitoria sunt, per quæ iubet exhiberi: veluti eum,

cuius de libertate agitur: aut libertum, cui patronus operas indicere velit, aut parenti liberos, qui in potestate eius sunt. Sunt tamen, qui putent, proprie interdicta ea vocari, quæ prohibitoria sunt, quia interdicere sit denuntiare & prohibere: restitutoria autem & exhibitoria, proprie decreta vocari. Sed tamen obtinuit omnia interdicta appellari: quia inter duos dicuntur.

2 ¶ Sequens diuisio interdictorum hęc est, quod quędam adipiscendæ possessionis causa comparatę sunt, quædam retinendę, quędam recuperandę.

3 ¶ Adipiscendæ possessionis causa interdictum accommodatur bonorum possessori, quod appellatur, *quorum bonorum*, eiusque vis & potestas hæc est: vt quod ex his bonis quisque, quorum possessio alicui data est, pro herede aut pro possessore possideat: id ei, cui bonorum possessio data est, restituere debeat. Pro herede autē possidere videtur, qui putat se heredem esse. Pro possessore is possidet, qui nullo iure rem hereditariam, vel etiam totam hereditatem sciens ad se non pertinere, possidet. Ideo autem adipiscendæ possessionis vocatur interdictum: quia ei tantum vtile est, qui nunc primum conatur adipisci rei possessionem. Itaque si quis adeptus possessionem, amiserit eam: hoc interdictum ei inutile est. Interdictum quoque, quod appellatur Saluianum, adipiscendæ possessionis causa comparatum est: eoque vtitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset.

4 ¶ Retinendæ possessionis causa comparata sunt interdicta, *vti possidetis*, & *vtrubi*: cum ab vtraque parte de proprietate alicuius rei controuersia sit: & ante quæratur vter ex litigatoribus possidere, & vter petere debeat. Namque nisi ante exploratum fuerit

fuerit, vtrius eorum possessio sit: non potest petitoria actio instituì: quia & ciuilis, & naturalis ratio facit, vt alius possideat, & alius à possidente petat. Et quia longe commodius est [& potius] possidere quam petere: ideo plerumque & fere semper ingens existit contentio de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quod etiam si eius res non sit, qui possidet: si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet [in] suo loco possessio, propter quam causam cũ obscura sunt vtriusque iura: contra petitorem iudicari solet. Sed interdicto quidem *vti possidetis*, de fundi vel ædium possessione contenditur: *utrubi* vero interdicto, de rerum mobilium possessione. Quorum vis ac potestas plurimam inter se differentiam apud veteres habebat. Nam *vti possidetis* interdicto is vincebat, qui interdicti tempore possidebat: si modo nec vi, nec clam, nec precario nactus fuerat aduersario possessionem: etiam si alium vi expulerat, aut clam arripuerat alienam possessionem, aut precario rogauerat aliquem, vt sibi possidere liceret. *utrubi* vero interdicto is vincebat, qui maiore parte eius anni, nec vi, nec clam, nec precario ab aduersario possidebat. Hodie tamen aliter obseruatur. Nam vtriusque interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exæquata est: vti ille vincat, [&] in re soli, & in re mobili, qui possessionem nec vi, nec clam, nec precario ab aduersario litis contestatæ tempore detinet.

5 ¶ Possidere autem videtur quisque, non solum si ipse possideat, sed & si eius nomine aliquis in possessione sit, licet eius iuris subiectus non sit, qualis est colonus & inquilinus. Per eos quoque, apud quos deposuerit quis, aut quibus commodauerit, ipse possidere videtur. Et hoc est, quod di-

citur, retinere possessionem posse aliquem per quemlibet, qui eius nomine sit in possessione. Quinetiam animo quoque solo retineri possessionem placet: id est, vt quamuis neque ipse sit in possessione, neque eius nomine alius: tamen si non relinquendæ possessionis animo, sed postea reuersurus inde discesserit, retinere possessionem videatur. Adipisci vero possessionem per quos aliquis potest, secundo libro exposuimus. Nec vlla dubitatio est, quin animo solo adipisci possessionem nemo possit.

6 ¶ Recuperandæ possessionis causa solet interdici, si quis ex possessione fundi vel ædium vi deiectus fuerit: nam ei proponitur interdictum *vnde vi*, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem: licet is ab eo, qui vi deiecit, vi vel clam vel precario possideat. Sed ex constitutionibus sacris (vt supra diximus) si quis rem per vim occupauerit, siquidem in bonis eius est, dominio eius priuatur. si aliena: post eius restitutionem, etiam æstimationem [rei] dare vim passo compellitur. Qui autem aliquem de possessione per vim deiecerit: tenetur lege Iulia de vi priuata aut de vi publica. sed de vi priuata, si sine armis vim fecerit. sin autem cum armis eum de possessione vi expulerit, de vi publica [tenetur.] Armorum autem appellatione non solum scuta, & gladios, & galeas, sed & fustes, & lapides significari intelligimus.

7 ¶ Tertia diuisio interdictorum hæc est, quod aut simplicia sunt, aut duplicia. Simplicia sunt, veluti in quibus alter actor, alter reus [est]: qualia sunt omnia restitutoria aut exhibitoria: nam actor is est, qui desiderat aut exhiberi, aut restitui: reus autem is est, à quo desideratur, vt restituat, aut exhibeat. Prohibitoriorum autem interdictorum alia simplicia sunt, alia duplicia. Simplicia sunt, veluti cum præ-

eor prohibet in loco sacro, vel in flumine publico ripave eius aliquid fieri. Nam actor est, qui desiderat, ne quid fiat: reus est, qui aliquid facere conatur. Duplicia sunt, veluti *vti possideris* interdictum, & *utrubi*. Ideo autem duplicia vocantur, quia par vtriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam præcipue reus vel actor intelligitur: sed vnusquisque tam rei, quam actoris partes sustinet.

8 ¶ De ordine & vetere exitu interdictorum superuacuum est hodie dicere. Nam quotiens extra ordinem ius dicitur (qualia sunt hodie omnia iudicia) non est necesse reddi interdictum: sed perinde iudicatur sine interdictis, ac si vtilis actio ex causa interdicti reddita fuisset.

DE POENA TEMERE litigantium.

TIT. XVI.

NVnc admonendi sumus, magnam curam egisse eos, qui iura sustinebant, ne facile homines ad litigandum procederent: quod & nobis studio est. Idque eo maxime fieri potest, quod temeritas tam agentium, quam eorum, cum quibus agitur modo pecuniaria pœna, modo iurisiurandi religione, modo infamiæ metu coercetur.

1 ¶ Ecce enim iusiurandum omnibus, qui conueniuntur ex constitutione nostra defertur. Nam reus non aliter suis allegationibus vtitur, nisi prius iurauerit, quod putans se bona instantia vti, ad contradicendum peruenit. At aduersus inficiantes, ex quibusdam causis dupli [vel tripli] actio constituitur, veluti si damni iniuria, aut legatorum locis venerabilibus relictorum nomine agatur. Statim autem ab initio pluris, quam simpli est actio: veluti furti manifesti, quadrupli: nec manifesti, dupli. Nam ex his & aliis quibusdam causis (siue

quis neget, siue fateatur) pluris, quam simpli est actio. Item actoris quoque calumnia coercetur. Nam etiam actor pro calumnia iurare cogitur ex nostra constitutione. Vtriusque etiam partis aduocati iusiurandum subeunt: quod alia nostra constitutione comprehensum est. Hæc autem omnia pro veteris calumniæ actione introducta sunt, quæ in desuetudinem abiit: quia in partem decimam litis actores mulctabat, quod nusquam factum esse inuenimus, sed pro his introductum est [&] præfatum iusiurandum, & vt improbus litigator [&] damnum, & impensas litis inferre aduersario suo cogatur.

2 ¶ Ex quibusdam iudiciis damnati ignominiosi fiunt: veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo, item tutelæ, mandati, depositi, directis, non contrariis actionibus. Item pro socio, quæ ab vtraque parte directa est: & ob id quilibet ex sociis eo iudicio damnatus, ignominia notatur. Sed furti quidem aut vi bonorum raptorum, aut iniuriarum, aut de dolo, non solum damnati notantur ignominia: sed & pacti, & recte. plurimum enim interest, vtrum ex delicto aliquis, an ex contractu debitor sit.

3 ¶ Omnium autem actionum instituendarum principium, ab ea parte edicti proficiscitur, qua prætor edicit de in ius vocando. Vtique enim in primis aduersarius in ius vocandus est: id est, ad eum vocandus, qui ius dicturus sit. Qua parte prætor parentibus & patronis, item parentibus liberisque patronorum & patronarum hunc præstat honorem: vt non aliter liceat liberis libertisque eos in ius vocare, quam si ab ipso prætore postulauerint, & impetrauerint. & si quis aliter vocauerit: in eum pœnam solidorum quinquaginta constituit.

DE OFFICIO IVDICIS.

TIT. XVII.

SVpereſt, vt de officio iudicis diſpiciamus. Et quidem in primis illud obſeruare debet iudex, ne aliter iudicet, quam legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt.

1 ¶ Ideoque ſi noxali iudicio aditus eſt, obſeruare debet, vt ſi condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare, *Publium Maeuium Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxam dedere.*

2 ¶ Et ſi in rem actum ſit [coram iudice]: ſiue contra petitorem iudicauerit: abſoluere debet poſſeſſorem. ſiue contra poſſeſſorem, iubere ei debet, vt rem ipſam reſtituat cum fructibus. Sed ſi poſſeſſor neget in præſenti ſe reſtituere poſſe, & ſine fruſtratione videbitur tempus reſtituendæ cauſa petere, indulgendum eſt ei: vt tamen de litis æſtimatione caueat cum fideiuſſore, ſi intra tempus quod ei datum eſt, non reſtituerit. Et ſi hereditas petita ſit, eadem circa fructus interueniunt, quæ diximus interuenire de ſingularum rerum petitione. Illorum autem fructuum, quos culpa ſua poſſeſſor non perceperit: [ſiue illorum], quos perceperit: in vtraque actione eadem ratio pene habetur, ſi prædo fuerit. Si vero bonæ fidei poſſeſſor fuerit: non habetur ratio [neque] conſumptorum, neque non perceptorum. Poſt inchoatam autem petitionem, etiam illorum [fructuum] ratio habetur, qui culpa poſſeſſoris percepti non ſunt, vel percepti conſumpti ſunt.

3 ¶ Si ad exhibendum actum fuerit: non ſufficit, ſi exhibeat rem is, cum quo actū eſt: ſed opus eſt, vt etiam rei cauſam debeat exhibere, id eſt, vt eam cauſam habeat actor quam habiturus eſſet, ſi cum primum ad exhibendum egiſſet, exhibita res fuiſſet. Ideo-

que si inter moras [exhibendi] vsucapta sit res à possessore: nihilominus condemnabitur. Præterea fructum medij temporis, id est, eius quod post acceptũ ad exhibendum iudicium, ante rem iudicatam intercesserit: rationem habere debet iudex. Quod si neget reus, cum quo ad exhibendum actum est, in præsenti se exhibere posse, & tempus exhibendi causa petat, idque sine fraustratione postulare videatur: dari ei debet, vt tamen caueat se restituturum. quod si neque statim iussu iudicis rem exhibeat, neque postea exhibiturum se caueat: condemnandus sit in id, quod actoris intererat, si ab initio res exhibita esset.

4 ¶ Si familiæ erciscundæ [iudicio] actum sit: singulas res singulis heredibus adiudicare debet. & si in alterius persona prægrauare videatur adiudicatio: debet hunc inuicẽ coheredi certa pecunia (sicut iam dictum est) condemnare. Eo quoque nomine coheredi quisque suo condemnandus est, quod solus fructus hereditarij fundi perceperit, aut rem hereditariam corruperit, aut consumpserit. Quæ quidem similiter inter plures quoque, quam duos coheredes, subsequuntur.

5 ¶ Eadem interueniunt, & si communi diuidundo de pluribus rebus actũ sit. Quod si de vna re, veluti de fundo: siquidem iste fundus commode regionibus diuisionem recipiat: partes eius singulis adiudicare debet, & si vnius pars prægrauare videbitur: is inuicem certa pecunia alteri condemnandus est. Quod si commode diuidi non possit: veluti si homo forte, aut mulus erit, de quo actum sit, tunc totus vni adiudicandus est, & is inuicem alteri certa pecunia condemnandus est.

6 ¶ Si finium regundorum actum fuerit, dispicere debet iudex, an necessaria sit adiudicatio. quæ sane vno casu necessaria est, si

euidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quã olim fuissent distincti. Nam tunc necesse est ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adiudicari: quo casu conueniens est, vt is alteri certa pecunia debeat condemnari. Eo quoque nomine condẽnandus est qui sque hoc iudicio, quod forte circa fines aliquid malitiose commisit: verbi gratia quia lapides finales furatus est, vel arbores finales excidit. Contumaciæ quoque nomine quisque eo iudicio condemnatur: veluti si quis iubente iudice metiri agros passus non fuerit.

7 ¶ Quod autem istis iudiciis alicui adiudicatum fuerit: id statim eius fit, cui adiudicatum est.

DE PVBLICIS IVDICIIS.

TIT. XVIII.

Publica iudicia neque per actiones ordinantur, neque omnino quicquam simile habent [cum] cæteris iudiciis, de quibus locuti sumus: magnaque diuersitas eorum est & in instituendo, & in exercendo.

1 ¶ Publica autem dicta sunt, quod cuiuis ex populo executio eorum plerumq; datur.

2 ¶ Publicorum iudiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia dicimus, quæ vltimo supplicio afficiunt [homines,] vel [etiam] aquæ & ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo. Cætera, si quam infamiam irrogant, cum damno pecuniario: hæc publica quidem sunt, non tamen capitalia.

3 ¶ Publica autem iudicia hæc sunt: lex Iulia maiestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem, vel rempublicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Cuius pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur.

4 ¶ Item lex Iulia de adulteriis coercendis, quæ non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum

masculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem lege Iulia etiam stupri flagitium punitur, cum quis sine vi vel virginem, vel viduam honeste viuentem, stupraverit. Pœnam autem eadem lex irrogat stupratoribus: si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum: si humiles, corporis coërcitionem cum relegatione.

5 ¶ Item lex Cornelia de sicariis, quæ homicidas vltore ferro persequitur, vel eos, qui hominis occidendi causa cum telo ambulant. Telum autem (vt Caius noster ex interpretatione legum duodecim tabularum scriptum reliquit) vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. sed & omne significat, quod manu cuiusque iacitur. sequitur ergo, vt lignum, & lapis, & ferrum hoc nomine contineatur: dictum ab eo, quod in longinquum mittitur, [à] Græca voce τηλε figuratum. Et [sic] hanc significationem inuenire possumus & in Græco nomine. nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant. Admonent nos epigrammata in Xerolopho vrbis faustissimæ scripta, ἡ τὰ βέλη ὁμῶς ἐφέρετο, λύγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλείστοι δὲ ἡ λίθοι. *Et huiusmodi tela simul ab eis fevebantur, lanceæ, sicula, funda, pluvimi autem & lapides.* Sicarij autem appellantur à sica, quod significat ferreum cultrum. Eadem lege & venefici capite damnãtur, qui artibus odiosis, tam venenis, quam susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint.

6 ¶ Alia deinde lex asperrimum crimen noua pœna persequitur, quæ Pompeia de parricidiis vocatur: qua cauetur, vt si quis parentis, aut filij, aut omnino adfinitatis eius, quæ nuncupatione parentum continetur, fata præparauerit (siue clam, siue palam id ausus fuerit) [nec non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit,

existit, licet extraneus sit,] pœna parricidij puniatur, & neque gladio neque ignibus, neque vlli alij solemni pœnæ subiiciatur, sed insutus culleo cum Cane, & Gallo gallinaceo, & Vipera, & Simia, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem proiiciatur, vt omnium elementorum vsu viuus carere incipiat, & ei cælum superstiti, [&] terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel affinitate personas coniunctas necauerit: pœnam legis Corneliæ de sicariis sustinebit.

7 ¶ Item lex Cornelia de falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, subiecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit sciens dolo malo. Eiusque legis pœna in seruos, vltimum supplicium est (quod etiam in lege de sicariis & veneficis seruatur) in liberos vero deportatio.

8 ¶ Item lex Iulia de vi publica seu priuata, aduersus eos exoritur, qui vim vel armatam, vel sine armis commiserint. Sed si quidem armata vis arguatur: deportatio ei ex lege Iulia de vi publica irrogatur. si vero sine armis: in tertiam partē bonorum [suorum] publicatio imponitur. Sin autem per vim raptus virginis, vel viduæ, vel sanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus: tunc & raptores, & ij, qui opem [huic] flagitio dederunt, capite puniuntur, secundum nostræ constitutionis definitionem, ex qua hoc apertius possibile est scire.

9 ¶ Item lex Iulia peculatus eos punit, qui publicam pecuniam, vel rem sacram, vel religiosam furati fuerint. Sed si quidem ipsi iudices tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint: capitali animaduersione puniuntur: & non solum hi, sed

etiam qui ministerium eis ad hoc exhibuerint, vel qui subtractas ab his scientes susceperint. Alij vero qui in hanc legem inciderint: pœnæ deportationis subiugentur.

10 ¶ Est & inter publica iudicia lex Flauia de plagiariis, quæ interdum capitis pœnam ex sacris constitutionibus irrogat, interdum leuiorem.

11 ¶ Sunt præterea publica iudicia, lex Iulia de ambitu, lex Iulia repetundarum, & lex Iulia de annona, & lex Iulia de residuis, quæ de certis capitulis loquuntur: & animæ quidem amissionem non irrogant: aliis autem pœnis eos subiiciunt qui præcepta earum neglexerint. Sed de publicis iudiciis hæc exposuimus, vt vobis possibile sit summo digito, & quasi per indicem ea tetigisse: alioqui diligentior eorum scientia vobis ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris Deo propitio aduentura est.

INSTITVTIONVM

FINIS.

Lib. I.

Barlachstadt Güstrow http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0246 Mecklenburg Vorpommern

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE.

1. *Paulus* libro primo ad Edictum.

VERBVM hoc, *si quis*, tam masculos quam fœminas complectitur.

2. *Paulus* libro primo ad Edictum.

VRbis appellatio muris: Romæ autē continentibus ædificiis finitur, quod latius patet.

1 ¶ Cuiusque diei maior pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.

3. *Ulpianus* libro secundo ad Edictum.

TInere faciendo viginti millia passuum in dies singulos peragenda, sic sunt accipienda: vt, si post hanc dinumerationem minus quam viginti millia supersint, integrū diem occupent. veluti viginti vnum millia sunt passus: biduum eis attribuetur, quæ dinumeratio ita demum facienda erit, si de die non conueniat.

1 ¶ Eius, qui apud hostes decessit, dici hereditas non potest, qui seruus decessit.

4. *Paulus* libro 1. ad Edictum.

NOminis appellatione rem significari, Proculus ait.

5. *Idem* libro 2. ad Edictum.

REi appellatio latior est, quam pecuniæ, quā etiam ea, quæ extra computationem patrimonij nostri sunt, continet: cum pecuniæ significatio ad ea referatur, quæ in patrimonio sunt.

1 ¶ Opere locato, conducto: his verbis Labeo significari ait id opus, quod Græci ἀποτέλεσμα vocant, [non ἔργον] id est, ex opere facto corpus aliquod perfectum.

6. *Ulpianus*

6. *Ulpianus* libro 3. ad Edictum.

NOminis & rei appellatio ad omnẽ contractum & obligationem pertinet.

1 ¶ Verbum *Ex legibus* sic accipiendum est, tam ex legum sententia, quam ex verbis.

7. *Paulus* libro secundo ad Edictum.

SPonsio appellatur, non solum quæ per sponsus interrogationem fit, sed omnis stipulatio promissioque.

8. *Idem* libro 3. ad Edictum.

VErbum *Oportebit* tam præsens, quam futurum tempus significat.

1 ¶ Actionis verbo non continetur exceptio.

9. *Ulpianus* libro 5. ad Edictum.

MArcellus apud Iulianum notat, verbo *Perisse* & scissum & fractum contineri, & vi raptum.

10. *Idem* libro 6. ad Edictum.

CReditores accipiendos esse constat eos, quibus debetur ex quacumque actione, vel persecutione, vel iure ciuili sine vlla exceptionis perpetuæ remotione, vel honorario, vel extraordinario, siue pure, siue in diem, vel sub conditione. Quod si natura debeatur, non sunt loco creditorum. Sed si non sit mutua pecunia, sed contractus: creditores accipiuntur.

11. *Gaius* libro primo ad Edictum Prouinciale.

CReditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt: sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur.

12. *Ulpianus* libro sexto ad Edictum.

[VT] si cui ex empto, vel ex locato, vel ex alio vllo debetur. Sed etsi ex delicto debeatur, mihi videtur posse creditoris loco accipi. Quod si ex populari causa, ante litis contestationem recte dicetur creditoris loco non esse, postea esse.

1 ¶ Minus

1 ¶ Minus soluit, qui tardius soluit: nam & tempore minus soluitur.

13. *Idem* libro 7. ad Edictum.

MVlieris appellatione etiam virgo viri potens continetur.

1 ¶ Res abesse videntur (vt Sabinus ait, & Pedius probat) etiam hæ, quarum corpus manet, forma mutata est. & ideo si corruptæ redditæ sint, vel transfiguratæ, videri abesse, quoniam plerumque plus est in manus pretio quàm in re.

2 ¶ Desinere autem abesse res tunc videtur, cum sic redit in potestatem, ne amittere [eius] possessionem possimus.

3 ¶ Ob hoc, quod furto pridem subtracta est, abest & ea res quæ in rebus humanis non est.

14. *Paulus* libro septimo ad Edictum.

LAbeo & Sabinus existimant, si vestimentum scissum reddatur, vel res corrupta reddita sit, veluti scyphi collisi, aut tabula rasa pictura, videri rem abesse: quoniam earum rerum pretium non in substantia, sed in arte sit positum. Item si dominus rem, quæ furto sibi aberat, ignorans emerit: recte dicitur res abesse, etiam si postea id ita esse scierit: quia videtur res ei abesse, cuius pretium abest.

1 ¶ Rem amisisse videtur, qui aduersus nullum eius persequendæ actionem habet.

15. *Vlpianus* libro 10. ad Edictum.

BOna ciuitatis abusiue publica dicta sunt, sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt.

16. *Gaius* libro tertio ad Edictum [Prouinciale.]

EVm, qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus. nam publica appellatio in compluribus causis ad populum Romanum respicit: ciuitates enim priuatorum loco habentur.

17. *Vlpianus* libro decimo ad Edictum.

Inter

INter publica habemus non sacra, nec religiosa: nec quæ publicis vsibus destinata sunt: sed si qua sunt ciuitatum velut bona: sed peculia seruorum ciuitatum proculdubio publica habentur.

1 ¶ Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiscus capit: quale est vectigal portus, vel venalium rerum, item salinarum, & metallorum, & picariarum.

18. *Paulus* libro 9. ad Edictum.

MVnus tribus modis dicitur. vno donum: & inde munera dici, dari, mittive, altero onus: quod cum remittatur, vacationem militiæ manerisque præstat: inde immunitatem appellari. tertio officium: vnde munera militaria, & quosdã milites munificos vocari. Igitur municipes dici, quod munera ciuilia capiant.

19. *Vlpianus* libro 11. [ad Edictum.]

LAbeo libro primo prætoris vrbani desinit, quod quædam agantur, quædam gerantur, quędam contrahantur. Et actum quidem generale verbum esse, siue verbis, siue re quid agatur: vt in stipulatione, vel numeratione. Contractum autem vltro citroque obligationem, quod Græci συναλλαγμα vocant, veluti emptionem, venditionem, locationem, conductionẽ, societatem. Gestum rem significare sine verbis factam.

20. *Idem* libro duodecimo [ad Edictum.]

VErba *Contraxerunt, gesserunt*, non pertinent ad testandi ius.

21. *Paulus* [libro vndecimo ad Edictum.]

PRinceps bona concedendo videtur etiam obligationes concedere.

22. *Gaius* [libro quarto] ad Edictum Prouinciale.

PLus est in restitutione quam in exhibitione. nam exhibere est, præsentiam corporis præbere.

præbere. restituere est, etiam possessorem facere, fructusque reddere. pleraque præterea restitutionis verbo continentur.

23. *Vlpianus* libro quartodecimo [ad Edictum.]

REi appellatione & causæ & iura continentur.

24. *Gaius* libro sexto ad Edictum Prouinciale.

NIhil est aliud hereditas, quam successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit.

25. *Paulus* libro vicesimoprimo [ad Edictum.]

RECte dicimus eum fundum totum nostrum esse, etiam cum vsusfructus alienus est: quia vsusfructus non dominij pars, sed seruitutis sit: vt via, & iter. nec falso dici, [totum] meum esse, cuius non potest vlla pars dici alterius esse. hoc & Iulianus, & est verius.

1 ¶ Quintus Mucius ait, partis appellatione rem pro indiuiso significari. nam quod pro diuiso nostrum sit, id non partem, sed totum esse. Seruius non inelegàter partis appellatione vtramque significari.

26. *Vlpianus* [libro 16.] ad Edictum.

PArtum non esse partem rei furtiuæ, Scæuola libro vndecimo quæstionum scribit.

27. *Idem* libro septimodecimo [ad Edictum.]

AGer est locus, qui sine villa est.

1 ¶ Stipendium à stipe appellatum est, quod per stipes, id est modica æra, colligatur. Idem hoc etiam tributum appellari Pomponius ait. Et sane appellatur ab intributione tributum: vel ex eo, quod militibus tribuatur.

28. *Paulus* libro vicesimoprimo [ad Edictum.]

ALienationis verbum etiam vsucapionem continet. vix est enim, vt non videatur

alienare,

alienare, qui patitur vsucapi. Eum quoque alienare dicitur, qui non vtendo amisit seruitutes. Qui occasione adquirendi non vtitur, non intelligitur alienare: veluti qui hereditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur.

1 ¶ Oratio, quæ neque coniunctionem, neque disiunctionem habet, ex mente pronuntiantis, vel disiuncta, vel coniuncta accipitur.

29. *Idem* libro sexagesimosexto [ad Edictum.]

Coniunctionem enim nonnunquam pro disiunctione accipi, Labeo ait: vt in illa stipulatione, *Mihi hereditaque meo, te heredemque tuum.*

30. *Gaius* libro septimo ad Edictum [Prouinciale.]

Silua cædua est, (vt quidam putant) quæ in hoc habetur, vt cæderetur. Seruius eam esse quæ succisa rursus ex stirpibus aut radicibus renascitur.

1 ¶ Stipula illecta est spicæ in messe deiectæ, nec dum lectæ, quas rustici, cum vocauerint, colligunt.

2 ¶ Noualis est terra præcisa, quæ anno cessauit, quam Græci νεάτιν vocant.

3 ¶ Integra autem est, in quam nondum dominus pascendi gratia pecus immisit.

4 ¶ Glans caduca est, quæ ex arbore cecidit.

5 ¶ Pascua silua est, quæ pastui pecudum destinata est.

31. *Vlpianus* libro octauodecimo ad Edictum.

Pratum est, in quo ad fructū percipiendum falce duntaxat opus est, ex eo dictū, quod paratum sit ad fructum capiendum.

32. *Paulus* libro vicesimoquarto [ad Edictum.]

Minus solutum intelligitur, etiam si nihil esset solutum.

33. *Vlpianus*

33. *Ulpianus* libro vicesimoprimo ad Edictum.

PAlam est, coram pluribus.

34. *Paulus* libro 24. [ad Edictum.]

ACtionis verbo etiam persecutio continetur.

35. *Idem* [libro septimodecimo ad Edictum.

REstituere autem is intelligitur, qui simul & causam actori reddit, quam is habiturus esset, si statim iudicij accepti tempore res ei reddita fuisset. id est, & vsucapionis causam, & fructuum.

36. *Ulpianus* [libro vicesimotertio ad Edictum.]

LItis nomen [omnem] actionem significat, siue in rem, siue in personam sit.

37. *Paulus* [libro 26. ad Edictum.]

VErbum *Oportere* non ad facultatem iudicis pertinet, qui potest vel pluris vel minoris condemnare, sed ad veritatem refertur.

38. *Ulpianus* [libro 25. ad Edictum.]

OStentum Labeo definit, omne contra naturam cuiusque rei genitum, factumque. duo genera [autem] sunt ostentorum, vnum quotiens quid contra naturam nascitur, tribus manibus forte, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est: alterum cum quid prodigiosum videtur, quæ Græci φαντάσματα, id est, *visiones* vocant.

39. *Paulus* libro 53. [ad Edictum.]

SVbsignatum dicitur, quod ab aliquo subscriptum est. nam veteres subsignationis verbo pro adscriptione vti solebant.

1 ¶ Bona intelliguntur cuiusque, quę deducto ære alieno supersunt.

2 ¶ Detestari est, absenti denuntiare.

3 ¶ Incertus possessor est, quem ignoramus.

40. *Ulpianus* libro 56.

DEtestatio est denuntiatio facta cum testatione.

1 ¶ Serui appellatio etiam ad ancillam refertur.

2 ¶ Familiæ appellatione liberi quoque continentur.

3 ¶ Vnicus seruus familiæ appellatione non continetur. Ne duo quidem familiam faciunt.

41. *Gaius* libro 21. ad Edictum Prouinciale.

ARmorum appellatione non vtique scuta, & gladios, & galeas significat: sed & fustes, & lapides.

42. *Ulpianus* [libro 57. ad Edictum.]

PRobrum & opprobrium, id est probra quædam natura turpia sunt, quædam ciuiliter, & quasi more ciuitatis. vtputa furtum, adulterium, natura turpe est, enim vero tutelæ damnari, hoc non natura probrum est, sed more ciuitatis. nec enim natura probrum est, quod potest etiam in hominem idoneum incidere.

43. *Idem* [libro quinquagesimo octauo ad Edictum.]

VErbo *Victus* continentur, quæ esui, potui que, cultui que corporis, quæque ad viuendum homini necessaria sunt, vestemque victus habere vicem, Labeo ait.

44. *Gaius* libro vigesimo secundo [ad Edictum Prouinciale.]

ET cætera quibus tuendi, curandive corporis nostri gratia vtimur, ea appellatione significantur.

45. *Ulpianus* [libro quinquagesimo octauo ad Edictum.]

INstratum omne vestimentum contineri, quod insternatur, Labeo ait. neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium περὶ στρωμα. In victum ergo vestem accipiemus, non stragula, in stratum omnem stra

stragulam vestem.

46. *Idem* libro 59. [ad Edictum.]

PRonuntiatum & statutum idem potest. promiscue enim & pronuntiasse & statuisse solemus dicere eos qui ius habent cognoscendi.

1 ¶ Matremfamilias accipere debemus eam, quæ non inhoneste vixit. matrem enim familias à cæteris fœminis mores discernunt, atque separant. proinde nihil interest, nupta sit, an vidua, ingenua sit, an libertina. nam neque nuptiæ, neque natales faciunt matremfamilias: sed boni mores.

47. *Paulus* libro quinquagesimo sexto ad Edictum.

LIberationis verbum eandem vim habet, quam solutionis.

48. *Gaius* libro ad Edictum prætoris vrbani, titulo,

Qui neque sequantur neque ducantur.

SOlutum non intelligimus eum, qui licet vinculis leuatus sit, manibus tamen tenetur. ac ne eum quidem intelligimus solutum, qui in publico sine vinculis seruatur.

49. *Vlpianus* libro quinquagesimonono ad Edictum.

BOnorum appellatio aut naturalis, aut ciuilis est. Naturaliter bona ex eo dicuntur quod beant, hoc est, beatos faciunt. beare est prodesse. In bonis autem nostris computari sciendum est, non solum quæ dominij nostri sunt, sed & si bona fide à nobis possideantur, vel superficiaria sint. Aeque bonis adnumerabitur, etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus. nam hæc omnia in bonis esse videntur.

50. *Idem* libro sexagesimo primo ad Edictum.

NVrus appellatio etiam ad pronurum, & vltra porrigenda est.

51. *Gaius* libro vigesimotertio ad Edictum Prouinciale.

APpellatione parentis non tantum pater, sed etiam auus, & proauus, & deinceps omnes superiores continentur: sed & mater, & auia, & proauia.

52. *Vlpianus* libro sexagesimoprimo [ad Edictum.]

PAtroni appellatione & patrona continetur.

53. *Paulus* libro quinquagesimo [nono] ad Edictum.

SAepe ita comparatum est, vt coniuncta pro disiunctis accipiantur, & disiuncta pro coniunctis, interdum soluta pro separatis. Nam cum dicitur apud veteres, *Adgnatorum gentiliumque*, pro separatione accipitur. At cum dicitur, *Super pecunia tutelaue sua*, tutor separatim sine pecunia dari non potest. Et cum dicimus, *Quod dedi aut donaui*: vtraque continemus. Cum vero dicimus, *Quod eum dare facere oportet*: quoduis eorum sufficit probare. Cum vero dicit prætor, *Si donum, munus, operas vedemerit*: si omnia imposita sunt, certum est, omnia redimenda esse. ex re ergo pro coniunctis habentur. si quædam imposita sunt, cætera non desiderabuntur.

1 ¶ Item dubitatum, illa verba, *Ope, consilio*, quemadmodum accipienda sunt: sententiæ coniungentium aut separantium? sed verius est, quod & Labeo ait, separatim accipiēda: quia aliud factum est eius, qui opem aliud eius, qui consilium furtum facit. sic enim alij condici potest, alij non potest. & sane post veterum auctoritatem eo peruentum est, vt nemo ope videatur feciſſe, nisi & consilium malignum habuerit: nec consilium habuisse noceat, nisi & factū secutum fuerit.

54. *Vlpianus* libro sexagesimosecundo [ad Edictum]

COnditionales creditores dicuntur & hi, quibus nondum competit actio, est autem

eem competitura: vel qui spem habent, vt competat.

55. *Paulus* libro sextodecimo breuis Edicti.

CReditor autem is est, qui exceptione perpetua summoueri non potest. qui autem temporalem exceptionem timet, similis est conditionali creditori.

56. *Vlpianus* libro sexagesimo [secundo ad Edictum.]

COgnoscere instrumenta, est relegere, & recognoscere. dispungere est conferre accepta & data.

1 ¶ Liberorum appellatione continentur non tantum qui sunt in potestate, sed omnes, qui sui iuris sunt: siue virilis, siue fœminini sexus sunt, exve fœminini sexus descendentes.

57. *Paulus* libro quinquagesimo nono [ad Edictum.]

CVi præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quam cæteri diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent: hi magistri appellantur. Quineriam ipsi magistratus per deriuationem à magistris cognominantur. vnde etiam cuiuslibet disciplinæ præceptores, magistros appellari à monendo, vel monstrando.

1 ¶ Persequi videtur, & qui satis accepit.

58. *Gaius* libro vigesimoquarto ad Edictum Prouinciale.

LIcet inter gesta & facta videtur quædam esse subtilis differentia: attamen κατα-χρηστικῶς, id est, *abusiue*, nihil inter factum & gestum interest.

1 ¶ Paternos libertos recte videmur dicere nostros libertos. liberorum libertos non recte nostros libertos dicimus.

59. *Vlpianus* libro sexagesimo octauo [ad Edictum.]

POrtus appellatus est conclusus locus, quo importantur merces, inde exportantur,

eaque nihilominus statio est conclusa, atque munita. inde angiportum dictum est.

60. *Idem* libro 69. [ad Edictum.]

LOcus est non fundus, sed portio aliqua fundi: fundus autem integrum aliquid est. & plerumque sine villa locum accipimus. Cæterum adeo opinio nostra & constitutio locum à fundo separat, vt & modicus locus possit fundus dici, si fundi animo eum habuimus. Non etiam magnitudo locum à fundo separat, sed nostra affectio. & quælibet portio fundi poterit fundus dici, si iam hoc constituerimus. necnon & fundus, locus constitui potest. nam, si eum alij adiunxerimus fundo, locus fundi efficietur.

1 ¶ Loci appellationem non solum ad rustica, verum ad vrbana quoque prædia pertinere, Labeo scribit.

2 ¶ Sed fundus quidem suos habet fines: locus vero latere potest, quatenus determinetur, & definietur.

61. *Paulus* libro sexagesimo quinto [ad Edictum.]

SAtisdationis appellatione interdum etiam rempromissio cõtinebitur: qua contentus fuit is cui satisdatio debebatur.

62. *Gaius* libro vigesimosexto ad Edictum Prouinciale.

TIgni appellatione in lege duodecim tabularum omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significatur.

63. *Vlpianus* [libro septuagesimoprimo ad Edictum.]

PEnes te amplius est, quam *apud te*, nam apud te est, quod qualiter qualiter à te teneatur: penes te est, quod quodammodo possidetur.

64. *Paulus* libro sexagesimooctauo ad Edictum.

INtestatus est, non tantum qui testamentum non fecit, sed etiam cuius ex testamẽto hereditas adita non est.

65.

65. *Ulpianus* libro septuagesimo secundo ad Edictum.

HEredis appellatio non solum ad proximum heredem, sed & ad ulteriores refertur. nam & heredis heres, & deinceps, heredis appellatione continetur.

66. *Idem* libro septuagesimo quarto ad Edictum.

MErcis appellatio ad res mobiles tantum pertinet.

67. *Idem* [libro septuagesimo sexto ad Edictum.]

ALienatum non proprie dicitur quod adhuc in dominio venditoris manet, venditum tamen recte dicetur.

1 ¶ Donationis verbum simpliciter loquendo, omnem donationem comprehendisse videtur: sive mortis causa, sive non mortis causa fuerit.

68. *Idem* libro septuagesimo septimo ad Edictum.

ILla verba, *arbitratu Lucij Titij fiet*, ius significant, & in seruum non cadunt.

69. *Idem* libro septuagesimo octauo ad Edictum.

HAec verba, *Cui rei dolus malus abierit, afuerit*, generaliter comprehendunt omnem dolum, quicunque in hanc rem admissus est, de qua stipulatio est interposita.

70. *Paulus* libro septuagesimo tertio [ad Edictum.]

SCiendum est, heredem etiam per multas successiones accipi. nam paucis speciebus heredis appellatio proximum continet. Veluti in substitutione impuberis, *Quisquis mihi heres erit, idem filio heres esto*: vbi heredis heres non continetur, quia incertus est. Item in lege Aelia Sentia filius heres proximus potest libertum parentum vt ingratum accusare, non etiam si heredi heres exstiterit. Idem dicitur in operarū exactione, vt filius heres exigere possit, non

successione effectus.

1 ¶ Verba hæc, *Is ad quem ea res pertinet*, sic intelliguntur, vt qui in vniuersum dominium vel iure ciuili vel iure prætorio succedit, contineatur.

71. *Ulpianus* libro septuagesimo ad Edictum.

ALiud est capere, aliud accipere. Capere, cum effectu accipitur. Accipere est, si quis non accepit, vt habeat. ideoque non videtur quis capere, quod erit restituturus. sicut peruenisse proprie illud dicitur quod est remansurum.

1 ¶ Hæc verba, *His rebus recte præstari*, hoc significant, ne quid periculum vel damnum ex ea re stipulator sentiret.

72. *Paulus* libro 76 [ad Edictum.]

APpellatione rei, pars etiam continetur.

73. *Ulpianus* libro 80. [ad Edictum.]

HAec verba in stipulatione posita, *Eam rem recte restitui*, fructus continent. *Recte* enim verbum pro viri boni arbitrio est.

74. *Paulus* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

SIgnatorius anulus ornamenti appellatione non continetur.

75. *Idem* libro 50. ad Edictum.

REstituere is videtur, qui id restituit, quod habiturus esset actor, si controuersia ei facta non esset.

76. *Idem* libro quinquagesimoprimo ad Edictum.

DEdisse intelligendus est etiam is, qui permutauit, vel compensauit.

77. *Idem* [libro 49. ad Edictum.]

FRugem pro reditu appellari, non solum quod frumentis, aut leguminibus: verum & quod ex vino siluis cæduis, cretifodinis, lapidicinis capitur. Iulianus scribit fruges omnes esse, quibus homo vescatur, falsum esse: non enim carnem, aut aues ferasve, aut ima fruges dici. Frumentum autem id esse, quod

quod arista se teneat, recte Gallum definisse. Lupinum vero & fabam fruges potius dici: quia non arista, sed siliqua continentur, quæ Seruius apud Alfenum in frumento contineri putat.

78. *Paulus* libro tertio ad Plautium.

INterdum proprietatem quoque verbum possessionis significat: sicut in eo, qui possessiones suas legasset, responsum est.

79. *Idem* libro 6. ad Plautium.

IMpensæ necessariæ sunt, quæ si factæ non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit.

1 ¶ Vtiles impensas esse Fulcinius ait, quæ meliorem dotem faciant, [non] deteriorem esse non sinant: ex quibus reditus mulieri adquiratur: sicut arbusti pastinatione vltra quam necesse fuerat: item doctrinam puerorum, quorum nomine onerari mulierem ignorantem vel inuitam, non oportet: ne cogatur fundo aut mancipiis carere. In his impensis & pistrinum, & horreum insulæ dotali adiectum, plerumque dicemus.

2 ¶ Voluptariæ sunt quæ speciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent: vt sunt viridia, & aquæ salientes, incrustationes, loricationes, picturæ.

80. *Idem* libro 9. ad Plautium.

IN generali repetitione legatorum etiam datæ libertates continentur ex mente legis duodecim tabularum.

81. *Idem* libro 10. ad Plautium.

CVm prætor dicat, vt opus factum restituatur, etiam damnum datum actor cõsequi debet: nam verbo restitutionis omnis vtilitas actoris continetur.

82. *Idem* libro 14. ad Plautium.

VErbum *Amplius* ad eum quoque pertinet, cui nihil debetur: sicuti ex contrario minus solutum videtur, etiam si nihil esset exactum.

83. *Iauolenus* libro quinto ex Plautio.

PRoprie bona dici non possunt, quæ plus incommodi, quam commodi habent.

84. *Paulus* [libro 2. ad Vitellium.]

FIlij appellatione omnes liberos intelligimus.

85. *Marcellus* libro 1. Digestorum.

NEratius Priscus tres facere existimat collegium. & hoc magis sequendum est.

86. *Celsus* libro 5. Digestorum.

QVid aliud sunt iura prædiorum, quam prædia qualiter se habentia? vt bonitas, salubritas, amplitudo?

87. *Marcellus* libro 12. Digestorum.

VT Alfenus ait, vrbs & Roma, quæ muro cingeretur. Roma est etiam, qua continenti ædificia essent. nam Romam non muro tenus existimari, ex consuetudine cottidiana posse intelligi, cum diceremus Romam nos ire, etiam si extra vrbem habitaremus.

88. *Celsus* libro octauodecimo Digestorum.

TAntum quisque pecuniæ relinquit, quantum ex bonis eius refici potest. sic dicimus, centies aureorum habere, qui tantum in prædiis, cæterisque similibus rebus habeat. Non idem est in fundo alieno legato, quanquam is hereditaria pecunia parari potest: neque quisquam eum, qui pecuniam numeratam habet, habere dicit, quicquid ex ea parari potest.

89. *Pomponius* libro sexto ad Sabinum.

BOues magis armentorum, quam iumentorum generis appellantur.

1 ¶ Hoc sermone, *Duæ nupta erit*, primæ nuptiæ significantur.

2 ¶ Inter edere & reddi rationes, multum interest. nec is, qui edere iussus sit, reliquum reddere debet. nam & argentarius edere rationem videtur, etiamsi quod reliquum sit apud eum non soluat.

90. *Vlpianus* libro vicesimoseptimo ad Sabinum.

QVi vti optimæ maximæque sunt, ædes tradit: nō hoc dicit, seruitutem illis deberi, sed illud solum, ipsas ædes liberas esse, hoc est nulli seruire.

91. *Paulus* libro secundo Fideicommissorum.

MEorum & tuorum appellatione actiones quoque contineri dicendum est.

92. *Idem* libro 7. [quæstionum.]

PRoximus est, cui nemo antecedit. supremus est, quem non sequitur.

93. *Celsus* [libro 19. Digestorum.]

MQuentium, item mobilium appellatione idem significamus. si tamen apparet defunctum animalia duntaxat, quia se ipsa mouerent, mouentia vocasse. quod verum est.

94. *Idem* libro 20. Digestorum.

VErbum reddendi quanquam significatum habet retro dandi, recipit tamen & per se dandi significationem.

95. *Marcellus* libro 14. Digestorum.

POtest reliquorum appellatio & vniuersos significare.

96. *Celsus* libro 25. Digestorum.

LItus est, quousque maximus fluctus à mari peruenit. idque Marcum Tullium aiunt, cum arbiter esset, primum constituisse.

1 ¶ Prædia dicimus aliquorum esse, non vtique communiter habentium ea, sed [vel] alio aliud habente.

97. *Idem* libro 32. Digestorum.

CVm stipulamur, *Quanta pecunia ex hereditate Titij ad te peruenerit*: res ipsas, quæ peruenerunt, non pretia earum spectare videmur.

98. *Idem* libro 39. Digestorum.

CVm bisextum Kalendis est: nihil refert [vtrum] priore an posteriore die quis natus

tus sit, & deincops sextum Kalendas eius natalis dies est. nam id biduum pro vno die habetur: sed posterior dies intercalatur, non prior, ideo quo anno intercalatum non est, sexto Kalendas natus, cum bisextum Kalendis est, priorem diem natalem habet.

1 ¶ Cato putat, mensem intercalarem additicium esse, omnesque eius dies pro momento temporis obseruat, extremoque diei mensis Februarij attribuit Quintus Mucius.

2 ¶ Mensis autem intercalaris constat ex diebus viginti octo.

99. *Vlpianus* libro 3. de officio Consulis.

NOtionem accipere possumus & cognitionem & iurisdictionem.

1 ¶ Continentes prouincias accipere debemus eas quæ Italiæ iunctæ sunt: vtputæ Galliam. sed & prouinciam Siciliam magis inter continentes accipere nos oportet, quę modico freto Italia diuiditur.

2 ¶ Instrumentorum appellatione quæ comprehendantur, perquam difficile erit separare. quæ enim proprie sint instrumenta, propter quæ dilatio danda sit, inde dignoscemus, si in præsentiam personæ, quæ instruere possit, dilatio petatur. puta qui actum gessit, licet in seruitute, vel qui actor fuit constitutus: putem videri instrumentorum causa peti dilationem.

100. *Idem* libro 2. de officio Consulis.

SPecioſas personas accipere debemus, clarissimas personas vtriusque sexus. item eorum, quæ ornamentis senatoriis vtuntur.

101. *Modestinus* libro nono differentiarum.

INter stuprum & adulterium, hoc interesse quidam putant: quod adulterium in nuptam, stuprum in viduam committitur, sed lex Iulia de adulteriis hoc verbo indifferenter vtitur.

¶ Di

1 ¶ Diuortium inter virum & vxorem fieri dicitur, repudium vero sponsæ remitti videtur. quod & in vxoris personam non absurde cadit.

2 ¶ Verum est, morbum esse temporalem corporis imbecillitatem, vitium vero perpetuum corporis impedimentum. veluti si talum excusit. nam & luscus itaque vitiosus est.

3 ¶ Seruis legatis etiam ancillas deberi, quidam putant: quasi commune nomen vtrumque sexum contineat.

102. *Idem* libro 7. Regularum.

DErogatur legi, aut abrogatur: derogatur legi, cum pars detrahitur, abrogatur legi cum prorsus tollitur.

103. *Idem* libro 8. Regularum.

LIcet capitalis Latine loquentibus omnis causa existimationis videatur: tamen appellatio capitalis, mortis vel amissionis ciuitatis, intelligenda est.

104. *Idem* libro 2. Excusationum.

[Η]τῶν τέκνων προσηγορία καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται.

NAtorum appellatio & ad nepotes extenditur.

105. *Idem* [libro 11. Responsorum.]

MOdestinus respondit, verbis, *Libertis libertabusque meis*, libertum libertæ testatoris non contineri.

106. *Idem* libro singulari de Præscriptionibus.

DImissoriæ litteræ dicuntur, quæ vulgo apostoli dicuntur. dimissoriæ autem dictæ quod causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur.

107. *Idem* libro tertio Pandectarum.

ADsignare libertum hoc est, testificari, cuius ex liberis libertum eũ esse voluit.

108. *Idem* libro 4. Pandectarum.

DEbitor intelligitur is, à quo inuito exigi pecunia potest.

109. *Idem* libro 5. Pandectarum.

BOnæ fidei emptor esse videtur, qui ignorauit eam rem alienam esse: aut putauit eum, qui vendidit, ius vendendi habere, puta procuratorem, aut tutorem esse.

110. *Idem* libro 6. Pandectarum.

SEquester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controuersia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur.

111. *Iauolenus* libro 6. ex Cassio.

CEnseri est constituere, & præcipere: vnde etiam dicere solemus, Censeo hoc facias: & semet aliquid censuisse. Inde censoris nomen videtur esse tractum.

112. *Idem* libro 11. ex Cassio.

LItus publicum est eatenus, qua maxime fluctus exæstuat. Idemque iuris est in lacu, nisi is totus priuatus est.

113. *Idem* libro 14. ex Cassio.

MOrbus sonticus est, qui cuique rei nocet.

114. *Idem* libro 15. [ex Cassio.]

SOluendo esse nemo intelligitur, nisi qui solidum potest soluere.

115. *Idem* libro 4. Epitomarum.

QVæstio est, fundus a possessione vel agro vel prædio quid distet. Fundus est omne, quidquid solo tenetur. Ager est, [fi] species fundi ad vsum hominis comparatur. Possessio ab agro iuris proprietate distat. quicquid enim adprehendimus, cuius proprietas ad nos nó pertinet, aut nec potest pertinere: hoc possessionẽ appellamus. Possessio ergo vsus, ager proprietas loci est. Prædium veriusque suprascriptæ generale nomen est: nam & ager & possessio huius appellationis species sunt.

116. *Idem* libro 7. Epistolarum.

QVisquis mihi alius filij filiusve heres sit, Labeo non videri filiam contineri: Proculus contra. mihi Labeo videtur verborum signi-

ram

ram sequi, Proculus mentem testantis. respondit: Non dubito, quin Labeonis sententia vera non sit.

117. *Idem* libro 9. Epistolarum.

NOn potest videri minus soluisse is, in quem amplioris summæ actio non competit.

118. *Pomponius* libro 2. ad Quintum Mucium.

HOstes hi sunt, qui nobis aut quibus nos publice bellum decreuimus. cæteri latrones, aut prædones sunt.

119. *Idem* libro tertio [ad Quintum Mucium.]

HEreditatis appellatio sine dubio continet etiam damnosam hereditatem. iuris enim nomen est, sicuti bonorum possessio.

120. *Idem* libro quinto [ad Quintum Mucium.]

VErbis legis duodecim tabularum his, *Vti legassit suæ rei, ita ius esto*, latissima potestas tributa videtur, & heredis instituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas quoque constituendi, sed id interpretatione coangustatum est vel legum, vel auctoritate iura constituentium.

121. *Idem* libro sexto [ad Quintum Mucium.]

VSura pecuniæ, quam percipimus, in fructu non est: quia non ex ipso corpore, sed ex alia causa est, id est, noua obligatione.

122. *Idem* libro octauo ad Quintum Mucium.

SEruius ait: si ita scriptum sit, *Filio filiisque meis hosce tutores do*: masculis duntaxat tutores datos: quoniam singulari casu hoc, *filio*, ad pluralem videtur transisse, continentem eundem sexum, quem singularis prior positus habuisset. sed hoc facti, non iuris habet quæstionem. potest enim fieri, vt singulari casu de filio senserit, deinde plenius omnibus

bus liberis prospexisse in tutore dando voluerit. quod magis rationabile esse videtur.

123. *Idem* libro vigesimo sexto ad Quintum Mucium.

VErbum *erit* interdum etiam præteritum, nec solum futurum tempus demonstrat. quod est nobis necessarium scire, & cum codicilli ita confirmati testamento fuerint, *Quod in codicillis scriptum erit*, vtrumne futuri temporis demonstratio fiat, an etiam præteriti, si ante scriptos codicillos quis relinquat. quod quidem ex voluntate scribentis interpretandum est. Quemadmodum autem hoc verbum *est*, non solum præsens, sed & præteritum tempus significat: ita & hoc verbum *erit*, non solum futurum, sed interdum etiam præteritum tempus demonstrat. nam cum dicimus, *Lucius Titius solutus est* [*ab*] *obligatione*: & præteritum & præsens significamus: sicut hoc, *Lucius Titius alligatus est*. & idem fit, cum ita loquimur, *Troja capta est*. non enim ad præsentis facti demonstrationem refertur is sermo, sed ad præteritum.

124. *Proculus* libro 2. Epistolarum.

HAec verba, *ille aut ille*, non solum disiunctiuæ, sed etiam subdisiunctiuæ orationis sunt. Disiunctiuum est: veluti cum dicimus, *aut dies aut nox est*. quorum posito altero, necesse est tolli alterum: item sublato altero, poni alterum. ita simili figuratione verbum potest esse subdisiunctiuum. Subdisiunctiui autem genera sunt duo. Vnum, cum ex propositis finibus ita non potest vterque esse, vt possit neuter esse. veluti cum dicimus, *aut sedet, aut ambulat*. nam vt nemo potest vtrumque simul facere: ita aliquis potest neutrum, veluti is, qui accumbit. Alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neuter esse, vt possit vtrumque esse, veluti cum dicimus, *omne animal aut facit aut patitur*. nullum est enim, quod nec fa-

ciat,

ciat, nec patiatur: at potest simul & facere, & pati.

125. *Idem* libro 5. Epistolarum.

NEpos Proculo suo salutem. Ab eo, qui ita dotem promisit, *Cum commodum erit, dotis filiæ meæ tibi erunt aurei centum*, puta sine protinus nuptiis factis dotem peti posse? quid, si ita promisisset, *Cum potuero, doti erunt*? quod si aliquam vim habeat posterior obligatio, *possit* verbum quo modo interpretaris? vtrum ære alieno deducto, an extante? Proculus: Cum dotem quis [ita] promisit, *Cum potuero, doti tibi erunt centum*: existimo ad id, quod actum est, interpretationem redigendam esse. nam qui ambigue loquitur: id loquitur, quod ex his, quæ significantur, sensit: propius est tamen, vt hoc eum sensisse existimem, deducto ære alieno potero. potest etiam illa accipi significatio, cum salua dignitate mea potero. quæ interpretatio ea magis accipienda est, si ita promissum est, *cum commodum erit*; hoc est, cum sine incommodo meo potero.

126. *Idem* libro sexto Epistolarum.

SI, cum fundum tibi darem, legem ita dixi, *Vti optimus maximusque esset*, & adieci, ius fundi deterius factum non esse, per dominum præstabitur, amplius eo præstabitur nihil: etiam si prior pars, qua scriptum est, *vti optimus maximusque sit*, liberum esse significat. eoque, si posterior pars adiecta non esset, liberum præstare deberem. tamen inferiore parte satis me liberatum puto, quod ad iura attinet, ne quid aliud præstare debeam, quam ius fundi per dominum deterius factum non esse.

127. *Callistratus* libro quarto de Cognitionibus.

VEstis appellatione tam virilis, quam muliebris, & scænica, etiam si in tragica, aut citharœdica sit, continentur.

128. *Ulpianus* [libro primo] ad legem Iuliam & Papiam.

SPadonum generalis appellatio est. quo nomine tam hi, qui natura spadones sunt, item thlibiæ, thlasiæ, sed & si quod aliud genus spadonum est, continentur.

129. *Paulus* libro primo ad legem Iuliam & Papiam.

QVi mortui nascuntur, neque nati, neque procreati videntur: quia nunquam liberi appellari potuerunt.

130. *Ulpianus* libro secundo ad legem Iuliam & Papiam.

LEge obuenire hereditatem non improprie quis dixerit & eam, quæ ex testamento defertur: quia lege duodecim tabularum testamentariæ hereditates confirmantur.

131. *Idem* libro tertio ad legem Iuliam & Papiam.

ALiud fraus est, aliud pœna. fraus enim sine pœna esse potest: pœna sine fraude esse non potest. pœna est noxæ vindicta: fraus & ipsa noxa dicitur, & quasi pœnæ quædam præparatio.

1 ¶ Inter multam autem & pœnam multum interest: cum pœna generale sit nomen, omnium delictorum coërcitio: multa specialis peccati, cuius animaduersio hodie pecuniaria est, pœna autem non tantum pecuniaria, verum capitis & existimationis irrogari solet. & multa quidem ex arbitrio eius venit, qui multam dicit: pœna non irrogatur, nisi quæ quaque lege, vel quo alio iure specialiter huic delicto imposita est. quinimmo multa ibi dicitur, vbi specialis pœna non est imposita. Item multam is dicere potest, cui iudicatio data est. magistratus solos & præsides prouinciarum posse multam dicere, mandatis permissum est. pœnam autem vnusquisque irrogare potest, cui huius criminis sine delicti ex

exsecutio competit.

132. *Paulus* libro 3. ad legem Iuliam & Papiam.

ANniculus amittitur, qui extremo anni die moritur. & consuetudo loquendi id ita esse declarat, *Ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum*, neque vtro enim sermone vndecim dies significantur.

1 ¶ Falsum est eam peperisse, cui mortuæ filius exsectus est.

133. *Vlpianus* libro quarto ad legem Iuliam & Papiam.

SI quis sic dixerit, vt intra diem mortis eius aliquid fiat: ipse quoque dies, quo quis mortuus est, numeratur.

134. *Paulus* libro secundo ad legem Iuliam & Papiam.

ANniculus non statim vt natus est, sed trecentesimo sexagentesimoquinto die dicitur, incipiente plane, non exacto die, quia annum ciuiliter, non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus.

135. *Vlpianus* libro quarto ad legem Iuliam & Papiam.

QVæret aliquis: si portentosum, vel monstrosum, vel debile mulier ediderit, vel qualem visu vel vagitu nouum, non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis, quam hominis partum: an, quia enixa est, prodesse ei debeat? & magis est, vt hæc quoque parentibus prosint. nec enim est, quod eis imputetur, quæ, qualiter potuerunt, statutis obtemperauerunt: neque id, quod fataliter accessit, matri damnum iungere debet.

136. *Idem* libro quinto ad legem Iuliam & Papiam.

GEneri appellatione & neptis, & proneptis, tam ex filio, quam ex filia editorum cæterarumque maritos contineri, manifestum est.

137. *Paulus* libro secundo ad legem Iuliam & Papiam.

TEr enixa videtur, etiam quæ trigeminos pepererit.

138. *Idem* libro quarto ad legem Iuliam & Papiam.

HEreditatis appellatione bonorum quoque possessio continetur.

139. *Vlpianus* libro septimo ad legem Iuliam & Papiam.

ÆDificia Romæ fieri etiam ea videntur, quæ in continentibus Romæ ædificiis fiant.

1 ¶ Perfecisse ædificium is videtur, qui ita consummauit, vt iam in vsu esse possit.

140. *Paulus* libro sexto ad legem Iuliam & Papiam.

CEpisse quis intelligitur, quamuis alij adquisiit.

141. *Vlpianus* libro octauo ad legem Iuliam & Papiam.

ETiam ea mulier, cum moreretur, creditur filium habere, quæ exciso vtero edere possit. nec non etiam alio casu mulier potest habere filium, quem mortis tempore non habuit: vtputa eum, qui ab hostibus remeauit.

142. *Paulus* libro sexto ad legem Iuliam & Papiam.

TRiplici modo coniunctio intelligitur. aut enim re per se coniunctio contingit, aut re & verbis, aut verbis tantum. Nec dubium est quin coniuncti sint, quos & nominum & rei complexus iungit. veluti, *Titius & Mæuius ex parte dimidia heredes sunto.* vel [ita] *Titius Maeuiusque heredes sunto.* vel, *Titius cũ Mæuio ex parte dimidia heredes sunto.* videamus autẽ ne, etiã si hos articulos detrahas *&, que, cum*, interdum tamen coniunctos accipi oporteat. veluti *Lucius Titius, Publius Mæuius ex parte dimidia heredes sunto.* vel ita, *Publius Mæuius, Lucius Titius heredes sunto. Seorsum ex parte dimidia heres esto.* vt Titius &

& Mœuius veniant in partē dimidiam, & re & verbis coniuncti videantur. *Lucius Titius ex parte dimidia heres esto. Seius ex parte, qua Lucium Titium heredem instituit, heres esto. Sempronius ex parte dimidia heres esto.* Iulianus dubitari posse, tres semisses facti sint, an Titius in eundem semissem cum Gaio & Seio institutus sit. sed eo quod Sempronius quoque ex parte dimidia scriptus est, verisimilius esse, in eundem semissem duos coactos, & coniunctim heredes scriptos esse.

143. *Vlpianus* libro nono [ad legem Iuliam & Papiam.]

ID apud se quis habere videtur, de quo habet actionem, habetur enim, quod peti potest.

144. *Paulus* libro decimo ad legem Iuliam & Papiam.

LIbro memorialium.

MAssurius scribit pellicem apud antiquos eam habitam, quæ cum vxor non esset, cum aliquo tamen viuebat: quam nunc vero nomine amicam, paulo honestiore concubinam appellari, Granius Flaccus in libro de iure Papiriano scribit, pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo, cui vxor sit, corpus misceat. quosdam eam, quæ vxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam Παλλακην Græci vocant.

145. *Vlpianus* libro decimo [ad legem Iuliam & Papiam.

VIrilis appellatione interdum etiam totam hereditatem contineri dicendū est.

146. *Terentius Clemens* libro 2. [ad legem Iuliam & Papiam.]

SOceri, socrus appellatione auum quoque & auiam vxoris vel mariti contineri respondetur.

147. *Idem* libro tertio ad legem Iuliam & Papiam.

QVi in continentibus vrbis nati sunt, Romæ nati intelligantur.

148. *Gaius* libro octauo ad legem Iuliam & Papiam.

NOn est sine liberis, cui vel vnus filius vnave filia est. hęc enim enuntiatio, *habet liberos*, [*non habet liberos*] semper pluratiuo numero profertur: sicut & pugillares, & codicilli.

149. *Idem* libro decimo ad legem Iuliam & Papiam.

NAm quem sine liberis esse, dicere non possumus: hunc necesse est dicamus liberos habere.

150. *Idem* libro nono ad legem Iuliam & Papiam.

SI ita à te stipulatus fuero, *Quanto minus à Titio consecutus fuero, tantum dare spondes?* non solet dubitari, quin si nihil à Titio fuero consecutus, totum debeas, quod Titius debuerit.

151. *Terentius Clemens* libro 5. ad legem Iuliam & Papiam.

DElata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi.

152. *Gaius* libro decimo ad legem Iuliam & Papiam.

HOminis appellatione tam fœminam quam masculum contineri, non dubitatur.

153. *Terentius Clemens* libro 11. ad legem Iuliam & Papiam.

INtelligendus est mortis tempore fuisse, qui in vtero relictus est.

154. *Macer* [libro primo ad legem vicesimam.]

MIlle passus non à miliario vrbis, sed à cõtinentibus ædificiis numerandi sunt.

155. *Licinius Rufinus* libro septimo Regularum.

PRoximi appellatione etiam ille continetur qui solus est.

156. *Idem* libro 10. Regularum.

MAiore parte anni possedisse quis intelligitur etiam si duobus mensibus posse de-

tit: si modo aduersarius eius aut pauciori-
bus diebus, aut nullis possederit.

157. *Aelius Gallus* libro 1. de verborum, quę ad
ius pertinent, significatione.

PAries est, siue murus, siue maceria est.

1 ¶ Item via est, siue semita, siue i-
ter est.

158. *Celsus* libro vicesimo quinto
Digestorum.

IN vsu iuris frequenter vti nos Cascellius
ait singulari appellatione, cum plura ge-
neris eiusdem significare vellemus. nam &
multum hominem venisse Romam, & pis-
cem vilem esse dicimus. Item in stipulan-
do satis habemus de herede cauere, *Si ea res
secundum me heredemve meum iudicata erit.* & rur-
sus, *Quod ob eam rem te heredemve tuum.* nempe
æque, si plures heredes sint, continentur sti-
pulatione.

159. *Vlpianus* libro primo ad Sabinum.

ETiam aureos nummos æs dicimus.

160. *Idem* [libro secundo ad
Sabinum.]

CEterorum & reliquorum appellatione e-
tiam omnes continentur, vt Marcellus
dixit, circa eum cui optio serui legata est,
ceteri Sempronio: nam tentat, si non optet,
omnes ad Sempronium pertinere.

161. *Idem* libro 7. ad Sabinum.

NOn est pupillus, qui in vtero est.

162. *Pomponius* libro secundo ad
Sabinum.

IN vulgari substitutione, qua ei, qui supre-
mus morietur, heres substituitur, rectè
substitutus etiam vnico intelligitur: exem-
plo duodecim tabularum, ex quibus proxi-
mus adgnatus & solus habetur.

1 ¶ Si quis ita in testamento scripserit,
*Si quid filio meo acciderit, Damas seruus meus liber
esto:* mortuo filio, Damas liber erit. licet e-
nim accidant & viuis, sed vulgi sermone &
etiam mors significatur.

163. *Paulus* libro 2. ad Sabinum.

ILla verba, *Optimus, maximusque*, vel in eum cadere possunt, qui solus est. Sic & circa edictum prætoris supremæ tabulæ habentur & solæ.

1 ¶ Pueri appellatione etiam puella significatur, nam & fœminas puerperas appellant recentes ex partu, & Græce παιδία ἀπὸ τοῦ communiter appellatur.

164. *Ulpianus* libro quintodecimo ad Sabinum.

NOmen filiarum & in posthumam cadere, quæstionis non est, quamuis posthumæ non cadere in eam quæ in rebus humanis sit certum sit.

1 ¶ Partitionis nomen non semper dimidium significat: sed prout est adiectū. potest enim iuberi aliquis & maximam partiri posse, & vicesimam, & tertiam, & prout iuberit. sed si non fuerit portio adiecta, dimidia pars debetur.

2 ¶ Habere, sicut peruenire, cum effectu accipiendum est.

165. *Pomponius* [libro quinto ad Sabinum.]

VEnisse ad heredem nihil intelligitur, nisi deducto ære alieno.

166. *Idem* libro sexto [ad Sabinum.]

VRbana familia, & rustica, non loco, sed genere distinguitur. potest enim aliquis dispensator non esse seruorum vrbanorum numero: veluti, qui rusticarum rerum rationes dispensat, ibique habitet, non multum abest à villico. insularius autem vrbanorum numero est. videndum tamen est, ipse dominus, quorum loco quemque habuerit: quod ex numero familiæ, & vicariis apparebit.

1 ¶ Pernoctare extra vrbem intelligendus est, qui nulla parte noctis in vrbe est. Per enim totam noctem significat.

167.

167. *Ulpianus* libro vicesimo quinto ad Sabinum.

CArbonum appellatione materiam non contineri. sed an lignorum? & fortasis quis dicet, nec lignorum: non enim lignorum gratia habuit. Sed & titiones, & alia ligna cocta, ne fumum faciant, vtrum ligno, an carboni, an suo generi adnumerabimus? & magis est, vt proprium genus habeatur. Sulphurata quoque de ligno æque eandem habebunt definitionem. Ad faces quoque parata non erunt lignorum appellatione comprehensa, nisi hæc fuit voluntas. Idem & de nucleis oliuarum, sed & de balanis est, vel si qui alij nuclei. De pinu autem integri strobili, ligni appellatione continebuntur.

168. *Paulus* libro quarto [ad Sabinum,]

PAli & perticæ in numerum materiæ redigendi sunt, & ideo lignorum appellatione non continentur.

169. *Idem* libro quinto ad Sabinum.

NOn tantum in traditionibus, sed & in emptionibus, & in stipulationibus, & testamentis adiectio hæc, *Vsi optimus maximusque est*, hoc significat, vt liberum præstetur prædium, non vt etiam seruitutes ei debeantur.

170. *Ulpianus* libro trigesimo tertio ad Sabinum.

HEredis appellatione omnes significari successores credendum est, etsi verbis nō sint expressi.

171. *Pomponius* libro sextodecimo ad Sabinum.

PErueniſſe ad te recte dicitur, quod per te ad alium peruenerit: vt in hereditate à liberto per patronum filiumfamilias patri eius adoptiuo adquisita responsum est.

172. *Vlpianus* libro trigesimo octauo ad Sabinum.

LIberti appellatione etiam libertam contineri placuit.

173. *Idem* libro trigesimo nono ad Sabinum.

COllegarum appellatione hi continentur, qui sunt eiusdem potestatis.

1 ¶ Qui extra continentia vrbis est, abest: cæterum vsque ad continentia, non abesse videbitur.

174. *Idem* libro quadragesimo [secundo ad Sabinum.]

ALiud est promittere furem non esse, aliud furto noxaque solutum. qui enim dicit furem non esse, de hominis proposito loquitur. qui furtis noxaque solutum, nemini esse furti obligatum promittit.

175. *Pomponius* libro vicesimo secundo [ad Sabinum.]

FAciendi verbo, reddēdi etiam causa continetur.

176. *Vlpianus* libro quadragesimo quinto ad Sabinum.

SOlutionis verbo, satisfactionem quoque omnem accipiendam placet. soluere dicimus eum qui fecit, quod facere promisit.

177. *Idem* libro quadragesimoseptimo ad Sabinum.

NAtura cauillationis, quam Græci σωρίτην (*id est, acernalem syllogismum*) appellauerunt, hæc est, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.

178. *Idem* libro quadragesimo nono ad Sabinum.

PEcuniæ verbum, non solum numeratam pecuniam complectitur: verum omnem omnino pecuniam, hoc est, omnia corpora. nam corpora quoque pecuniæ appellatione contineri, nemo est qui ambiget.

1 ¶ Hereditas iuris nomen est, quod & accessio

cessionem & decessionem in se recipit. hereditas autē vel maxime fructibus augetur.

2 ¶ Actionis verbum, & speciale est, & generale. nam omnis actio dicitur, siue in personam, siue in rem sit petitio. sed plerumq; actiones personales solemus dicere. petitionis autem verbo, in rem actiones significari videntur. persecutionis verbo extraordinarias persecutiones puto contineri: vtputa fideicommissorum, & si quæ aliæ sunt, quæ non habent iuris ordinarij exsecutionem.

3 ¶ Hoc verbum *debuit*, omnem omnino actionem comprehendere intelligitur siue ciuilis, siue honoraria, siue fideicommissi fuit persecutio.

179. *Idem* libro quinquagesimo primo ad Sabinum.

INter hæc verba, *Quanti ea res erit*, vel, *Quantæ eam rem esse paret*, nihil interest: in vtraque enim clausula placet veram rei æstimationem fieri.

180. *Pomponius* libro trigesimo ad Sabinum.

TVgurij appellatione omnē ædificium, quod rusticæ magis custodiæ conuenit, quam vrbanis ædibus significatur.

1 ¶ Ofilius ait, tugurium à tecto, tanquam tegularium, esse dictum: vt toga, quod ea tegamur.

181. *Idem* [libro 35. ad Sabinum.]

VErbum illud *pertinere*, latissime patet. nam & eis rebus petendis aptum est, quæ dominij nostri sint: & eis, quas iure aliquo possideamus, quamuis non sint nostri dominij. pertinere ad nos etiam ea dicimus, quæ in nulla eorum causa sint, sed esse possint.

182. *Vlpianus* libro vigesimoseptimo ad Edictum.

[PAterfamilias] liber peculium non potest habere, quemadmodū nec seruus bona.

183.

183. *Idem* libro vigesimo octauo ad Edictum.

TAbernæ appellatio declarat omne vtile ad habitandum ædificium, non ex eo quod tabulis cluditur.

184. *Paulus* libro trigesimo [ad Edictum.]

INde tabernacula, & contubernales dicti sunt.

185. *Vlpianus* libro vicesimo octauo ad Edictum.

INstructam autem tabernam sic accipiemus, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem paratis constat.

186. *Idem* [libro 30. ad Edictum.]

COmmendare nihil aliud est, quam deponere.

187. *Idem* libro trigesimo [secundo ad Edictum.]

VErbum *Exactæ pecuniæ*, non solum ad solutionem referendum est: verum etiam ad delegationem.

188. *Paulus* libro trigesimo tertio ad Edictum.

HAbere duobus modis dicitur: altero, iure dominij, altero obtinere sine interpellatione id, quod quis emerit.

1 ¶ Cautum intelligitur: siue personis, siue rebus cautum sit.

189. *Idem* libro trigesimo quarto [ad Edictum.]

FAcere oportere & hanc significationem habet, vt absistat quis ab eo facto, quod cõtra conuentionẽ fieret, & curaret, ne fiat.

190. *Vlpianus* libro trigesimo quarto ad Edictum.

PRouinciales eos accipere debemus, qui in prouincia domicilium habent: non eos, qui ex prouincia oriundi sunt.

191. *Paulus* libro trigesimo quinto [ad Edictum.]

INter diuortium & repudium, hoc interest, quod repudiari etiam futurum matrimonium

nium potest: non recte autem sponsa diuortisse dicitur: quod diuortium ex eo dictum est, quod in diuersas partes eunt, qui discedunt.

192. *Ulpianus* libro trigesimo septimo ad Edictum.

HAec adiectio *plurisve*, non infinitam pecuniam continet, sed modicam: vt taxatio hæc, *solidos decem plurisve*, ad minutulam summam referatur.

193. *Idem* libro trigesimo octauo ad Edictum.

HAec verba, *Quanti eam rem paret esse*, non ad quod interest, sed ad rei æstimationem referuntur.

194. *Ulpianus* [libro quadragesimo tertio ad edictum.]

INter donum & munus, hoc interest, quod inter genus & speciem. nam genus esse donum Labeo à donando dictum, munus speciem. nam munus esse donum cum causa, vtputa natalicium, nuptalicium.

195. *Idem* libro quagragesimo sexto ad Edictum.

PRonuntiatio sermonis in sexu masculino ad vtrumque sexum plerumque porrigitur.

1 ¶ *Familiæ* appellatio qualiter accipiatur, videamus. & quidem varie accepta est. nam & in res, & in personas deducitur. In res, vtputa in lege duodecim tabularum his verbis, *adgnatus proximus familiam habeto*. Ad personas autem refertur familiæ significatio ita, cum de patrono & liberto loquitur lex: *ex ea familia*, inquit, *in eam familiam*. & hic de singularibus personis legem loqui constat.

2 ¶ Familiæ appellatio refertur & ad corporis cuiusdam significationem, quod aut iure proprio ipsorum, aut communi vniuersæ cognationis continetur. Iure proprio familiam dicimus, plures personas, quæ

quæ sunt sub vnius potestate, aut natura, aut iure subiectæ: vtputa patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, cuique deinceps vicem eorum sequuntur, vtputa nepotes, & neptes, & deinceps. Pater autem familias appellatur, qui in domo dominium habet. recteque hoc nomine appellatur, quamuis filium non habeat. non enim solam personam eius, sed & ius demonstramus: denique & pupillum patremfamilias appellamus, & cum paterfamilias moritur, quotquot capita ei subiecta fuerint, singulas familias incipiunt habere. singuli enim patrumfamiliarum nomen subeunt. idemque euenit & in eo, qui emancipatus est: nam & hic sui iuris effectus propriam familiam habet. communi iure familiam dicimus omnium agnatorum: nam etsi patrefamilias mortuo singuli singulas familias habent. tamen omnes, qui sub vnius potestate fuerunt, recte eiusdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem domo & gente proditi sunt.

3 ¶ Seruitutiū quoque solemus appellare familias, vt in edicto prætoris ostendimus sub titulo de furtis, vbi prætor loquitur de familia publicanorum. sed ibi non omnes serui, sed corpus quoddam seruorum demonstratur huius rei causa paratum, hoc est vectigalis causa: alia autem parte edicti omnes serui continentur, vt de hominibus coactis & vi bonorum raptorum: item redhibitoria, si deterior res reddatur emptoris opera, aut familiæ eius, & interdicto vnde vi, familiæ appellatio omnes seruos comprehendit. sed & filij continentur.

4 ¶ Item appellatur familia plurium personarum, quæ ab eiusdem vltimi genitoris sanguine proficiscuntur, sicuti dicimus familiā Iuliā, quasi à fonte quodā memorię.

5 ¶ Mulier autem familiæ suæ & caput, & finis est.

196. *Gaius* libro sextodecimo ad Edictum Prouinciale.

FAmiliæ appellatione & ipse princeps familiæ continetur.

1 ¶ Fœminarum liberos in familia earum nō esse, palam est: quia qui nascuntur, patris, non matris, familiam sequuntur.

197. *Ulpianus* libro quinquagesimo ad Edictum.

INdicasse est detulisse, arguisse, accusasse, & conuicisse.

198. *Idem* libro 2. de omnibus tribunalibus.

VRbana prædia omnia ædificia accipimus, non solum ea, quæ sunt in oppidis: sed & si forte stabula sunt, vel alia meritoria in villis, & in vicis: vel si prætoria voluptati tantum deseruientia: quia vrbanum prædium non locus facit, sed materia. Proinde horti quoque, si qui sunt in ædificiis constituti, dicendum sit vrbanorum appellatione contineri. Plane si plurimum horti in reditu sunt, vinearij forte, vel etiam olitorij, magis hæc non sunt vrbana.

199. *Idem* libro octauo de omnibus tribunalibus.

ABsentem accipere debemus eum, qui non est eo loco, in quo loco petitur. non enim trans mare absentem desideramus. & si forte extra continentia vrbis sit, absit. cæterum vsque ad continentia, non abesse videbitur, si non latitet.

1 ¶ Abesse non videbitur qui ab hostibus captus est, sed qui à latronibus detinetur.

200. *Iulianus* libro 2. Digestorum.

HAec stipulatio, *Noxis solutum præstari* ? non existimatur ad eas noxas pertinere, quæ publicam exercitionem, & coercitionem capitalem habent.

201. *Idem* libro 81. Digestorum.

IVsta interpretatione recipiendum est, vt appellatione filij, sicuti filiamfamilias cō-

tinerā

cineri sæpe respondebimus, ita & nepos videatur comprehendi. & patris nomine auus quoque demonstrari intelligatur.

202. *Alfenus Varus* [libro secundo Digestorum.]

CVm in testamento scriptum esset, vt heres in funere, aut in monumento duntaxat aureos centum consumeret, non licet minus consumere. si amplius vellet, licet: neque ob eam rem contra testamentum facere videtur.

203. *Idem* libro septimo Digestorum.

IN lege censoria portus Siciliæ ita scriptum erat: *seruos quos domo quis ducet suo vsu, pro his portorium ne dato.* quærebatur, si quis à Sicilia seruos Romam mitteret fundi instruēdi causa, vtrum pro his hominis portorium dare deberet, necne. respondit, duas esse in hac scriptura quæstiones, primam, quid esset *domum* ducere: alteram, quid esset *suo vsu* ducere. Igitur quæri soleret, vtrum vbi quisque habitaret, siue in prouincia, siue in Italia, an duntaxat in sua cuiusque patria domus esse recte dicetur: sed de ea re constitutum esse, eam domum vnicuique nostrum debere existimari, vbi quisque sedes & tabulas haberet, suarumque rerum constitutionem fecisset. Quid autem esset *vsu suo*, magnam habuisse dubitationem. & magis placet, quod victus sui causa paratum est, tantum contineri. Itemque de seruis eadem ratione quæri, qui eorum vsus sui causa parati essent: vtrum dispensatores, insularij, vilici, atrienses, textores, operarij quoque rustici, qui agrorum colendorum causa haberentur, ex quibus [agris] paterfamilias fructus caperet, quibus se toleraret: omnes denique seruos, quos quisque emisset, vt ipse haberet, atque eis ad aliquam rem vteretur, neque ideo emisset, vt venderet. Et sibi videri eos demum vsus sui causa patremfamilias habere, qui ad eius corpus tuendum, atque

que ipsius cultum præpositi, destinatique essent. quo in genere iunctores, cubicularij, coci, ministratores, atque alij, qui ad eiusmodi vsum parati essent, numerarentur.

204. *Paulus* libro 2. epitomarum [Alfeni.]

PVeri appellatio tres significationes habet: vnam, cum omnes seruos pueros appellaremus: alteram, cum puerum contrario nomine puellæ diceremus: tertiam, cum ætatem puerilem demonstraremus.

205. *Idem* libro quarto Epitomarum Alfeni.

QVi fundum vendidit, pomum recepit: nuces, & ficos, & vuas duntaxat duracinas, & purpureas, & quæ eius generis essent, quas non vini causa haberemus, quas Græci τρωξίμους, id est, *comestibiles*, appellarent, recepta videri.

206. *Iulianus* lib. 6. ex Minicio.

VInaria vasa proprie vasa torcularia esse placet: dolia autem & serias tamdiu in ea causa esse, quandiu vinum haberent. cum sine vino esse desinerent, in eo numero non esse: quoniam ad alium vsum transferri possent. veluti si frumentum in his addatur. eandem causam amphorarum esse: vt cum vinum habeant, tum in vasis vinariis: cum inanes sint, tum extra numerū vinariorum sint: quia aliud in his addi possit.

207. *Africanus* libro 3. Quæstionum.

MErcis appellatione homines non contineri, Mela ait, & ob eam rem mangones non mercatores, sed venaliciarios appellari ait, & recte.

208. *Idem* libro 4. Quæstionum.

BOnorū appellatio, sicut hereditatis, vniuersitatem quandam ac ius successionis, & non singulares res demonstrat.

209. *Florentinus* libro 10. Institutionum.

COram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intel-

ligat. itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat: non videtur coram eo feciſſe. Scire autem, non etiam velle is debet: nam & inuito eo recte fit, quod iussum est.

210. *Marcianus* libro 7. Institutionum.

IS, qui natus est ex mancipiis vrbanis, & missus est in villam nutriendus, in vrbanis seruis constituetur.

211. *Florentinus* libro 8. Institutionum.

FVndi appellatione omne ædificium, & omnis ager continetur: sed in vsu vrbana ædificia, ædes rustica, villæ dicuntur. Locus vero sine ædificio, in vrbe area, rure autem ager appellatur. Idemque ager cum ædificio, fundus dicitur.

212. *Vlpianus* libro 1. de Adulteriis.

PRæuaricatores eos appellamus, qui causam aduersariis suis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt, à varicando enim prævaricatores dicti sunt.

213. *Idem* libro primo Regularum.

Edere diem significat incipere deberi pecuniam. *Venire* diem significat eum diem venisse, quo pecunia peti possit. Vbi pure quis stipulatus fuerit: & cessit, & venit dies. vbi in diem: cessit dies, sed nondum venit. vbi sub conditione: neque cessit, neque venit dies pendente adhuc conditione.

1 ¶ Aes alienum est, quod nos aliis debemus. æs suum est, quod alij nobis debent.

2 ¶ Lata culpa est nimia negligentia: id est, non intelligere, quod omnes intelligunt.

214. *Marcianus* libro primo Publicorum iudiciorum.

MVnus proprie est, quod necessarie obimus, lege, more, imperioue eius, qui iubendi habet potestatem. Dona autem proprie sunt, quæ nulla necessitate iuris, officiis, sed sponte præstantur, quæ si non præstentur, nulla reprehensio est. &, si præstentur, pleraque laus inest. sed in summa in hoc

hoc ventum est: vt non quodcunque munus, id & donum accipiatur: at quod donum fuerit, id munus recte dicatur.

215. *Paulus* libro singulari ad legem Fusiam Caniniam.

POtestatis verbo plura significatur. in persona magistratuũ, imperiũ. in persona liberorũ, patria potestas. in persona serui, dominium. At cum agimus de noxæ deditione cum eo, qui seruum non defendit: præsentis corporis copiam facultatemque significamus. In lege Atinia in potestatem domini rem furtiuam venisse videri, & si eius vindicandæ potestatem habuerit, Sabinus & Cassius aiunt.

216. *Vlpianus* libro primo ad legem Aeliam Sentiam.

VErum est, eum, qui in carcere clusus est, non videri neque vinctum, neque in vinculis esse, nisi corpori eius vincula sint adhibita.

217. *Iauolenus* libro primo ex Posteriorib. Labeonis.

INter illam conditionem, *Cum fari potuerit, & postquam fari potuerit*, multum interest. nam posteriorem scripturam, vberiorem esse constat. at *cum fari potuerit*, arctiorem: & id tantummodo tempus significari, quo primum fari possit.

1 ¶ Item ita data conditione, *Illud facito in diebus*, si nihil præterea fuisset adiectum, in biduo conditionem impleri oportet.

218. *Papinianus* libro 27. Quæstionum.

VErbum *Facere* omnem omnino faciendi causam complectitur: dandi, soluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi.

219. *Idem* libro secundo Responsorum.

IN conuentionibus contrahentium voluntatem potius, quã verba, spectari placuit. Cum igitur ea lege fundum vectigalem nuncupes locauerint, vt ad heredem eius, qui susceperit, pertineret: ius heredum ad legata-

rium quoque transferri potuit.

220. *Callistratus* libro secundo Quæstionum.

Liberorum appellatione nepotes,& pronepotes,cæterique,qui ex his descendũt, continentur. hos enim omnes suorum appellatione lex duodecim tabularum comprehendit. totiens enim leges necessarium ducunt in cognatione singularum nominibus vti, veluti *Filij, nepotis, pronepotis*, cæterorumve,qui ex his descendunt: quotiens non omnibus, qui post eos sunt, præstitum voluerint:sed solis his succurrent, quos nominatim enumerent. At vbi non personis certis, non quibusdam gradibus præstatur, sed omnibus,qui ex eodem genere orti sunt:liberorum appellatione comprehenduntur.

1 ¶ Sed & Papirius Fronto libro tertio responsorum ait, prædio cum villico & contubernali eius & filiis legato, nepotes quoque ex filiis contineri: nisi voluntas testatoris aliter habeat. filij enim appellatione sæpe & nepotes accipi multifariam placere.

2 ¶ Diuus quoque Marcus rescripsit, non videri sine liberis defunctum, qui nepotem suum heredem reliquit.

3 ¶ Præter hęc omnia natura nos quoque docet parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto vxores ducunt: filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, contineri. nec enim dulciore nomine possumus nepotes nostros, quam filij, appellare: etenim idcirco filios filiasve concepimus, atque edimus, vt ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus.

221. *Paulus* libro 10. Responsorum.

Paulus respondit,falsum tutorem eum vere dici,qui tutor non est, siue habenti tutor datus est,siue nó. sicut falsum testamentum, quod testamentum non est. & modius iniquus,

iniquus, qui modius non est.

222. *Hermogenianus* libro secundo iuris epitomarum.

PEcuniæ nomine non solum numerata pecunia: sed omnes res, tam soli, quam mobiles, & tam corpora, quam iura continentur.

223. *Paulus* libro secundo Sententiarum.

LAtæ culpæ finis est, non intelligere id, quod omnes intelligunt.

1 ¶ Amicos appellare debemus, non leui notitia coniunctos: sed quibus fuerint iura cum patrefamilias, honestis familiaritatis quæsita rationibus.

224. *Vemuleius* libro septimo Stipulationum.

VInculorum appellatione, vel priuata, vel publica vincula significant. custodiæ vero, tantum publicam custodiam.

225. *Typhonius* libro primo Disputationum.

FVgitiuus est, non is, qui solum consilium fugiendi à domo susceperit, licet id se facturum iactauerit: sed qui ipso facto fugæ initium mente deduxerit. nam & furem, aduterum, aleatorem, quanquam aliqua significatione ex animi propositione cuiusque sola quis dicere posset: vt etiam is, qui nonnunquam alienam rem inuito domino subtraxerit, nunquam alienam matremfamilias corruperit, si modo eius mentis sit, vt occasione data id commissurus sit: tamen oportere eadem hæc crimina assumpto actu intelligi, & ideo fugitiuum quoque, & erronem non secundum propositionem solam, sed cum aliquo actu intelligi constat.

226. *Paulus* libro primo Manualium.

MAgna negligentia, culpa est. magna culpa, dolus est.

227. *Idem* libro secundo Manualium.

EX illa parte edicti, *Tum quem ei heredem esse oportet*, heredis heredibus bonorum possessio non defertur. 1. ¶ Item in substitutione his verbis, *Quisquis mihi heres erit*, proximus heres tantum significatur. imo non tantum proximus heres, sed etiam scriptus.

228. *Idem* libro singulari de cognitionibus.

MVnicipes intelligendi sunt, & qui in eodem municipio nati sunt.

229. *Idem* libro singulari de Tacitis fideicommissis.

TRansacta finitave intelligere debemus, non solum quibus controuersia fuit, sed etiam quæ sine controuersia sint possessa.

230. *Idem* libro singulari ad Senatusconsultum Orfitianum.

VT sunt iudicio terminata, transactione composita, longioris temporis silentio finita.

231. *Idem* libro singulari ad Senatusconsultum Tertyllianum.

QVod dicimus eum, qui nasci speratur, pro superstite esse: tunc verum est, cum de ipsius iure quæritur. aliis autem non prodest, nisi natus.

232. *Gaius* libro 1. de Verborum obligationibus.

HAec enunciatio, *Quæ sunt pluris aureorum triginta*; simul & quantitatis & æstimationis significatiua est.

233. *Idem* libro primo ad legem duodecim tabularum.

SI *calcitur & movetur, & frustretur.* Inde & calumniatores appellati sunt, quia per fraudem & frustrationem alios vexarent litibus. Inde & cauillatio dicta est.

1 ¶ Post Kalendas Ianuarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.

2 ¶ Telum vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Ita sequitur, vt &

& lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur. Dictumque ab eo quod in longinquum mittitur, [Græca voce] figuratum ἀπὸ τῆς τηλε, *i. ab eo, quod est longe.* Et hanc significationem inuenire possumus & in Græco nomine: nam, quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant, eoque nomine vulgo quidem id significatur, quod ab arcu mittitur: sed non minus omne significatur, quod [cum] mittitur manu, [ἀπὸ τῆς βάλλεσθαι: *i. à iaciendo.* Admonet nos Ξένοφων. *i. Xenophon*] nam ita scribit: Καὶ τὰ βέλη ὑμῶν ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. *i. Et tela simul ferebantur, hastæ, sagittæ, funda, pluvimi item lapides.*] Et id, quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα (*i. sagitta*) vocatur: apud nos autem communi nomine telum appellatur.

234. *Idem* libro secundo ad legem duodecim tabularum.

QVos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eã adiectionem indicantes, cum quibus bellum esset.

1 ¶ Locuples est, qui satis idonee habet pro magnitudine rei: quam actor restituendam esse petit.

2 ¶ Verbum *Viuere* quidam putant ad cibum pertinere. sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis & vestimenta & stramenta contineri. sine his enim viuere neminem posse.

235. *Idem* libro tertio ad legem duodecim tabularum.

FErri proprie dicimus, quæ quis suo corpore bailat: portari ea, quæ quis iumẽto secum ducit. agi ea, quæ animalia sunt.

1 ¶ Fabros tignarios dicimus non eos duntaxat, qui tigna dolarent: sed omnes qui ædificarent.

236. *Idem* libro quarto ad legem duodecim tabularum.

QVi venenum dicit, adiicere debet, vtrum malum, an bonum. nam & medicamenta venena sunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam eius, cui adhibitum est, mutat. cum id, quod nos venenum appellamus, Græci φάρμακον dicit. apud illos quoque tam medicamenta, quam quæ nocent, hoc nomine continentur. vnde adiectione alterius, nomine distinctio fit. admonet nos summus apud eos poëtarum Homerus. nam sic ait,

φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

id est,

Venena multa quidem bona mixta, multa autem mala.

2 ¶ Glandis appellatione omnis fructus continetur, vt Iauolenus ait: exemplo Græci sermonis, apud quos omnes arborum species ἀκρέμονα (id est, *extremitates arborum*) appellantur.

237. *Idem* libro quinto ad legem duodecim tabularum.

DVobus negatiuis verbis quasi permittit lex, magis quam prohibuit. idque etiam seruius animaduertit.

238. *Idem* libro sexto ad legem duodecim tabularum.

PLebs est cæteri ciues sine senatoribus.

1 ¶ Detestatum est testatione denuntiatum.

2 ¶ Pignus appellatum à pugno: quia res, quæ pignori dantur, manu traduntur. vnde etiam videri potest verum esse, quod quidam putant pignus proprie rei mobilis constitui.

3 ¶ Noxiæ appellatione omne delictum continetur.

239. *Pomponius* libro singulari Enchiridij.

PVpillus est, qui, cum impubes est, desiit in patris potestate esse aut morte, aut

emanci-

emancipatione.

1 ¶ Seruorũ appellatio ex eo fluxit, quod Imperatores [nostri] captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent.

2 ¶ Incola est, qui aliqua regione domicilium suum contulit, quem Græci παροικον (id est, *iuxta habitantem*) appellant. Nec tantum hi, qui in oppido morantur, incolæ sunt: sed etiam qui alicuius oppidi finibus ita agrum habent, vt in eum se quasiin aliquam sedem recipiant.

3 ¶ Munus publicum est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos, vniuersosque ciues, remque eorum imperio magistratus extraordinarium peruenit.

4 ¶ Aduena est, quem Græci ἀποικον, (id est, *domo profugum, colonum aduenientem*) appellãt.

5 ¶ Decuriones quidam dictos aiunt ex eo, quod initio, cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, consilij publici gratia conscribi solita sit.

6 ¶ Vrbs ab vrbo appellata est, vrbare est aratro definire. & Varus ait, vrbum appellari curuaturam aratri, quod in vrbe condenda adhiberi solet.

7 ¶ Oppidum ab ope dicitur, quod eius rei causa mœnia sint constituta.

8 ¶ Territorium est vniuersitas agrorum intra fines cuiusque ciuitatis, quod ab eo dictum quidam aiunt, quod magistratus eius loci intra eos fines terrendi, id est summouendi, ius habet.

9 ¶ Verbum *Suum* ambiguum est, vtrum de toto, an de parte significet, & ideo qui iurat suum non esse, adiicere debet, neque sibi communem esse.

240. *Paulus* ex libris sex, libro primo Imperialium sententiarum in cognitionibus probatarum.

CVm quærebatur, an verbum *Soluto matrimonio dotem reddi*, non tantum diuortium,

sed & mortem contineret, hoc est, an de hoc quoque casu contrahentes sentient, & multi putabant hoc sensisse, & quibusdam aliis contra videbatur: secundum hoc motus Imperator pronuntiauit, id actum eo pacto, vt nullo casu remaneret dos apud maritum.

241. *Quintus Mucius Scæuola* libro singulari

IN rutis cæsis ea sunt, quę terra non tenentur, quæque opere structili, tectoriove non continentur.

242. *Iauolenus* libro 2. ex Posterioribus Labeonis.

MAlum nauis esse partem, artemonem autem non esse, Labeo ait: quia pleræque naues sine malo inutiles essent, ideoque pars nauis habetur. artemo autem magis adiectamento, quam pars nauis est.

1 ¶ Inter proiectum & immissum, hoc interesse ait Labeo: quod proiectum esset id quod ita proueheretur, vt nusquā requiesceret, qualia mæniana, & suggrunda essent: immissum autem, quod ita fieret, vt aliquo loco requiesceret, veluti tigna, trabes, quæ immitterentur.

2 ¶ Plumbum, quod tegulis poneretur, ædificij esse ait Labeo: sed id, quod hypæthrhi tegendi causa poneretur, contra esse.

3 ¶ Viduam non solum eam, quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quæ virum non habuisset, appellari ait Labeo: quia vidua sic dicta est, quasi vecors, vesanus, qui sine corde, aut sanitate esset. similiter viduam dictam esse, sine duitate.

4 ¶ Straturam loci alicuius ex tabulis factis, quæ æstate tollerentur, & hyeme ponerentur, ædium esse, ait Labeo: quoniam perpetui vsus paratæ essent. neque ad rem pertinere, quod interim tollerentur.

243. *Scæuola* libro octauodecimo Digestorū.

CÆuola respondit: Semper acceptum est, vt libertorum appellatione etiā hi contineri

tineri intelligantur, qui eodem testamento vel posteriore loco manumitterentur: nisi si manifeste is, à quo peterentur, contra defuncti voluntatem doceret peti.

244. *Labeo* libro 4. Pithanon à Paulo epitomatorum.

SI qua pœna est, multa est. si qua multa est, pœna est. *Paulus:* Vtrumque eorum falsum est, namque harum rerum dissimilitudo ex hoc quoque apparet: quod de pœna prouocatio non est: simulatque enim victus quis est eius maleficij, cuius pœna est statuta, ſtatim ea debetur: at multæ prouocatio est, nec ante debetur, quam aut non est prouocatum, aut prouocator victus est, nec aliter, quam si is dixit, cui dicere licet. Ex hoc quoque earum rerum dissimilitudo apparere poterit, quia pœnæ certæ singulorum peccatorum sunt: multæ contra. quia eius iudicis potestas est, quantam dicat, nisi cum lege est constitutum, quantam dicat.

245. *Pomponius* libro decimo Epistolarum.

STatuæ affixæ basibus structilibus, aut tabulæ relegatæ catenis, aut erga parietem adfixæ, aut si similiter cohærent lychni, non sunt ædium: ornatus enim ædium causa parantur, non quo ædes perficiantur.

1 ¶ Idem Labeo ait: Prothyrum, quod in ædibus [interim qui] fieri solet, ædium est.

246. *Idem* libro 16. Epistolarum.

APud Labeonem Pithanon ita scriptum est: Exhibet, qui præstat eius, de quo agitur, præsentiam. nam etiam qui sistit, præstat eius, de quo agitur, præsentiam, nec tamen [eum] exhibet. [&] qui mutum aut furiosum aut infantem exhibet, non potest videri eius præstare præsentiam: nemo enim ex eo genere præsens satis apte appellari potest.

1 ¶ Restituit, non tantum qui solum corpus, sed etiam qui omnem rem conditio-

nem

nemque reddita causa præstet. & tota restitutio iuris est interpretatio.

Lib. L. Digestorum Tit. XVII.

DE [DIVERSIS] REGVLIS iuris antiqui.

1. *Paulus* [lib. 16. ad Plautium.]

Regula est, quæ rem, quæ est, breuiter enarrat, non ex regula ius sumatur: sed ex iure, quod est, regula fiat. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, & (vt ait Sabinus) quasi causæ coniectio est. quæ simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum.

2. *Vlpianus* [libro primo ad Sabinum.]

Foeminæ ab omnibus officiis ciuilibus vel publicis remotæ sunt: & ideo nec iudices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec procuratores existere.

1 ¶ Item impubes omnibus officiis ciuilibus debet abstinere.

3. *Idem* libro 3. ad Sabinum.

Eius est non nolle, qui potest velle.

4. *Idem* [libro 6. ad Sabinum.]

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini.

5. *Paulus* [libro 2. ad Sabinum.]

In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamuis actum rei non intelligerent. nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia tutore auctore agere potest.

6. *Vlpianus* [libro 7. ad Sabinum.]

Non vult heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem.

7. *Pomponius* [libro 3. ad Sabinum.]

Ius nostrum non patitur eundem in paganis, & testato & intestato decessisse. earumque

que rerum naturaliter inter se pugna est [testatus, & intestatus.]

8. *Idem* [libro quarto ad Sabinum.]

IVra sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt.

9. *Vlpianus* [libro quintodecimo ad Sabinum.]

SEmper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

10. *Paulus* [libro tertio ad Sabinum.]

SEcundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda.

11. *Pomponius* [libro quinto ad Sabinum.]

ID, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

12. *Paulus* [libro tertio ad Sabinum.]

IN testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

13. *Vlpianus* [libro decimo ad Sabinum.]

NOn videtur cepisse qui per exceptionem [à petitione] remouetur.

14. *Pomponius* [libro quinto ad Sabinum.]

IN omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

15. *Paulus* [libro quarto ad Sabinum.]

[IS,] qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

16. *Vlpianus* [libro vicesimoprimo ad Sabinum.]

IMaginaria venditio non est pretio accedente.

17. *Idem* [libro vicesimotertio ad Sabinum.]

CVm tempus in testamento adiicitur, credendum est, pro herede adiectum, nisi alia mens fuerit testatoris: sicuti in stipulatio

lationibus promissoris gratia tempus adiicitur.

18. *Pomponius* [libro sexto ad Sabinum.]

QVæ legata mortuis nobis ad heredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate fumus, eodem casu adquirimus. aliter atque quod stipulati sumus. nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis adquirimus, eriam si libertatis nobis potestate domini códitio existat.

PAVLVS.

SI filiusfamilias sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit: deinde exstiterit conditio: patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

19. *Vlpianus* [libro vicesimoquarto ad Sabinum.]

QVi cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis eius: heredi autem hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatariis contrahit.

1 ¶ Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

20. *Pomponius* [libro septimo ad Sabinum.]

QVotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit.

21. *Vlpianus* [libro vicesimo septimo ad Sabinum.]

NOn debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

22. *Idem* [libro vicesimooctauo ad Sabinum.]

IN personam seruilem nulla cadit obligatio.

1 ¶ Generaliter probandum est, vbicunque in bonæ fidei iudiciis confertur in arbitrium domini vel procuratoris eius conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse.

23. *Idem* [libro vicesimonono ad Sabinum.]

COntractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum, & culpam. dolum tantum, depositum, & precarium. dolum, & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negotia gesta. in his quidem & diligentiam. societas & rerum communio & dolum, & culpam recipit. sed hæc ita, nisi si quid nominatim conuenit, vel plus, vel minus, in singulis contractibus. nam hoc seruabitur, quod initio conuenit. legem enim contractus dedit. excepto eo, quod Celsus putat, non valere, si conuenerit, ne dolus præstetur. hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est: & ita vtimur. Animalium vero casus, mortes, quæque sine culpa accedunt, fuga seruorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præstantur.

24. *Paulus* [libro 5. ad Sabinum.]

QVatenus cuius interfit, in facto, non in iure consistit.

25. *Pomponius* [libro 11. ad Sabinum.]

PLus cautionis in re est, quam in persona.

26. *Vlpianus* [libro 30. ad Sabinum.]

QVi potest inuitis alienare, multo magis & ignorantibus & absentibus potest.

27. *Pomponius* [libro sextodecimo ad Sabinum.]

NEc ex prætorio nec ex solemni iure priuatorum conuentione quicquam immutandum est, quamuis obligationum causæ pactione possint immutari & ipso iure, & per pacti conuenti exceptionem. quia actionum modus vel lege, vel per prætorem introductus, priuatorum pactionibus non infirmatur: nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos conuenit.

28.

28. *Ulpianus* [libro trigesimo sexto ad Sabinum.]

DIuus Pius rescripsit, eos qui ex liberalitate conueniuntur, in id, quod facere possunt, condemnandos.

29. *Paulus* [libro octauo ad Sabinum.]

QVod initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.

30. *Ulpianus* [libro trigesimo sexto ad Sabinum.]

NVptias non concubitus, sed consensus facit.

31. *Idem* [libro quadragesimo secundo ad Sabinum.]

VErum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, vt vtilem actionem, aut factum efficere possit.

32. *Idem* [libro quadragesimo tertio ad Sabinum.

QVod attinet ad ius ciuile, serui pro nullis habentur: non tamen & iure naturali. quia, quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales sunt.

33. *Pomponius* [libro vicesimo secundo ad Sabinum.]

IN eo, quod vel is, qui petit, vel is, à quo petitur, lucri facturus est, durior causa est petitoris.

34. *Ulpianus* [libro quadragesimoquinto ad Sabinum.]

SEmper in stipulationibus & in cæteris cõtractibus id sequimur, quod actum est, aut si non appareat, quid actum est, erit cõsequens, vt id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

35. Mæ-

35. *Idem* [libro quadragesimo octauo ad Sabinum.]

NIhil tam naturale est quam eo genere quidque dissoluere, quo colligatum est; ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissoluitur.

36. *Pomponius* [libro 27. ad Sabinum.]

CVlpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti.

37. *Vlpianus* [libro quinquagesimo primo ad Sabinum.]

NEmo, qui condemnare potest, absoluere non potest.

38. *Pomponius* [libro vicesimo nono ad Sabinum.]

SIcuti pœna ex delicto defuncti heres teneri non debeat: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum peruenisset.

39. *Idem* libro trigesimo secundo ad Sabinum.

IN omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium moræ sit, quo minus fiat.

40. *Idem* [libro trigesimo quarto ad Sabinum.]

FVriosi, vel eius, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

41. *Vlpianus* [libro 26. ad Edictum.]

NOn debet actori licere, quod reo non permittitur.

1 ¶ In re obscura melius est fauere repetitioni, quam aduentitio lucro.

42. *Gaius* [libro 9. ad Edictum Prouinciale.]

QVi in alterius locum succedunt, iustam habent causam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fideiussores quoque non minus, quam heredes, iustam ignorantiam possunt allegare. Hæc ita de his dicta sunt, si cum eo agetur: non tam si agat. nam plane, qui agit, certus de

bet: cum sit in potestate eius, quando velit, experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

43. *Vlpianus* [libro vicesimooctauo ad Edictum.]

NEmo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione vti, nisi lex impedit.

1 ¶ Quotiens concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine, vna quis experiri debet.

44. *Idem* [libro vicesimonono ad Edictum.]

TOtiens in hereditatem damus de eo, quod ad eum peruenit, quotiens ex dolo defuncti conuenitur, non quotiens ex suo.

45. *Idem* [libro trigesimo ad Edictum.]

NEque pignus, neq; depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest.

1 ¶ Priuatorum conuentio iuri publico non derogat.

46. *Gaius* libro decimo ad Edictum Prouinciale.

QVod à quoquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

47. *Vlpianus* libro 30. ad Edictum.

COnsilij non fraudulenti nulla obligatio est. cæterum si dolus & calliditas intercessit, de dolo actio competit.

1 ¶ Socij mei socius, meus socius nõ est.

48. *Paulus* [libro trigesimoquinto ad Edictum.]

QVidquid [in] calore iracundiæ vel fit, vel dicitur: non prius ratum est, quam si perseuerantia apparuit iudicium animi fuisse. Ideoque brem reuersa vxor, nec diuertisse [illegible]detur.

[illegible] *Vlpianus* [libro trigesimoquinto ad Edictum.]

A[illegible]rius circumuentio alij non præbet a[illegible]onem.

50.

50. *Paulus* [libro trigesimonono ad Edictum.]

CVlpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.

51. *Gaius* [libro quintodecimo ad Edictum Prouinciale.]

NOn videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alij restituere.

52. *Vlpianus* [libro quadragesimoquarto ad Edictum.]

NOn defendere videtur, non tantum qui latitat, sed & is qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem.

53. *Paulus* [libro 42. ad Edictum.]

HVius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est.

54. *Vlpianus* [libro quadragesimo sexto ad Edictum.]

NEmo plus iuris ad alium transferre potest quam ipse haberet.

55. *Gaius* libro secundo de testamentis ad Edictum vrbicum.

NVllus videtur dolo facere, qui suo iure vtitur.

56. *Idem* libro tertio de legatis ad Edictum vrbicum.

SEmper in dubiis benigniora præferenda sunt.

57. *Idem* [libro octauodecimo ad Edictum Prouinciale.]

BOna fides non patitur, vt bis idem exigatur.

58. *Vlpianus* [libro secundo Disputationum.]

EX pœnalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari.

59. *Idem* [libro 3. Disputationum.]

HEredem eiusdem potestatis iurisque esse, cuius fuit defunctus, constat.

60. *Idem* [libro decimo Disputationum.]

SEmper qui non prohibet pro se interuenire, mandare creditur. Sed & si quis ra-

tum habuerit, quod gestum est:obstringitur mandati actione.

61. *Idem* [libro tertio Opinionum.]

DOmum suam reficere vnicuique licet, dum non officiat inuito alteri, in quod ius non habet.

62. *Iulianus* [libro sexto Digestorum.]

HEreditas nihil aliud est, quam successio in vniuersum ius quod defunctus habuerit.

63. *Idem* [libro septimo decimo Digestorum.]

QVi sine dolo malo ad iudicium prouocat, non videtur moram facere.

64. *Idem* [libro 29. Digestorum.]

EA quæ raro accidunt, non temere [in] agendis negotiis computantur.

65. *Idem* libro quinquagesimoquarto Digestorum.

EA est natura cauillationis, quam Græci σωρίτην (*id est acerualem syllogismum*) appellant, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.

66. *Idem* [libro 60. Digestorum.]

M*Arcellus*: Desinit debitor esse is, qui nanctus est exceptionem iustam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

67. *Idem* [libro octagesimo septimo Digestorum.]

QVotiens idem sermo duas sententias exprimit: ea potissimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est.

68. *Paulus* libro singulari de dotis repetitione.

IN omnib. causis id obseruatur, vt vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat. vbi vero genus actionis id desiderat: ibi, ad quemuis persecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij.

69.

69. *Idem* [libro singulari de adsignatione libertorum.]

INuito beneficium non datur.

70. *Vlpianus* [libro primo de officio Proconsulis.]

NEmo potest gladij potestatem sibi datam, vel cuius alterius coercitionis, ad alium transferre.

71. *Idem* libro 2. de officio proconsulis.

OMnia, quæcunque causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

72. *Iauolenus* [libro tertio ex posterioribus Labeonis.]

FRuctus rei est vel pignori dare licere.

73. *Quintus Mucius Scæuola* libro singulari ὁρῶν

QVo tutela rediit, eo hereditas peruenit, nisi cum fœminæ heredes intercedunt.

1 ¶ Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei quem in suis heredibus, cum moritur habuit, habiturusve esset, si vixisset.

2 ¶ Vi factum id videtur esse, qua de re quis cum prohibetur fecit clam, quod quisque, cum controuersiam haberet, habiturumve se putaret, fecit.

3 ¶ Quæ in testamento ita sunt scripta, vt intelligi non possint: perinde sunt, ac si scripta non essent.

4 ¶ Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquã alteri cauere potest.

74. *Papinianus* [libro primo Quæstionum.]

NOn debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

75. *Idem* [libro tertio Quæstionum.]

NEmo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam.

76. *Idem* [libro vigesimo quarto Quæstionum.]

IN totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt non nisi vera & certa scien-

ria perfici possunt.

77. *Idem* [libro vigesimo octauo Quæstionū.]

ACtus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, serui optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adiectionem. nonnunquam tamen actus suprascripti tacite recipiunt, quæ aperte comprehensa vitium adferunt. nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis cōditio exstiterit, quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

78. *Idem* [libro trigesimo primo Quæstionum.]

GEneraliter, cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per aduersarium habere non potuerit, considerandum est.

79. *Idem* [libro 32. Quæstionum.]

FAudis interpretatio semper in iure ciuili non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

80. *Idem* [libro 33. quæstionum.]

IN toto iure, generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.

81. *Idem* [libro 3. Responsorum.]

QVæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, ius commune non lædunt.

82. *Idem* [libro nono Responsorum.]

DOnari videtur, quod nullo iure cogente conceditur.

83. *Idem* [libro 2. Definitionum.]

NOn videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

84. *Paulus* [libro 3. Quæstionum.]

CVm amplius solutum est, quam debebatur, cuius pars non inuenitur, quæ repe-

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0306
Mecklenburg Vorpommern

ti possit: totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione.

1 ¶ Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus.

85. *Idem* [libro sexto Quæstionum.]

IN ambiguis pro dotibus respondere melius est.

1 ¶ Non est nouum, vt, quæ semel vtiliter constituta sunt, durent, licet ille casus exiterit, à quo initium capere non potuerunt.

2 ¶ Quotiens æquitas desiderij, naturalis ratio aut dubitatio iuris moratur: iustis decretis res temperanda est.

86. *Idem* [libro 7. Quæstionum.]

NOn solet deterior conditio fieri eorum, qui litem contestati sunt, quam si non: sed plerunque melior.

87. *Idem* [libro 13. Quæstionum.]

NEmo enim in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam heredi quoque prospiceretur, & heres tenetur ex omnibus causis.

88. *Scæuola* [libro 5. Quæstionum.]

NVlla intelligitur mora ibi fieri, vbi nulla petitio est.

89. *Paulus* [libro 10. Quæstionum.

QVandiu possit valere testamentum, tandiu legitimus non admittitur.

90. *Idem* [libro 15. Quæstionum.]

IN omnibus quidem, maximè tamen in iure, æquitas spectanda sit.

91. *Idem* [libro 17. Quæstionum.]

QVotiens duplici iure defertur alicui successio: repudiato nouo iure, quod ante defertur, supererit vetus.

92. *Scæuola* [libro 5. Responsorum.]

SI librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset: nihil nocere, quo minus & reus, & fideiussor teneatur.

93. *Mæcianus* [libro primo Fideicommissorum.]

FIliusfamilias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur.

94. *Ulpianus* [libro secundo fideicommissorum].

NOn solent, quæ abundant, vitiare scripturas.

95. *Idem* [libro 6. Fideicommissorum.]

NEmo dubitat, soluendo videri eum, qui defenditur.

96. *Mæcianus* [libro duodecimo Fideicommissorum.]

IN ambiguis orationibus maxime sententia spectanda [est] eius, qui eas protulisset.

97. *Hermogenianus* [libro tertio Iuris Epitomarum.]

EA sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perueniunt.

98. *Idem* [libro quarto iuris Epitomarum.]

QVotiens vtriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cuius in lucrum causa tempore præcedit.

99. *Venuleius* [libro duodecimo Stipulationum.]

NOn potest improbus videri, qui ignorat, quantum soluere debeat.

100. *Gaius* [libro primo Regularum.]

OMnia quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt.

101. *Paulus* [libro singulari de Cognitionibus.]

VBi lex duorum mensium fecit mentionē, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: nam & Imperator Antoninus cum diuo patre suo rescripsit.

101. *Ulpianus* [libro primo ad Edictum.]

QVi vetante prætore fecit, hic aduersus edictum feciſſe proprie dicitur.

¶ Eiu

2 ¶ Eius est actionem denegare, qui possit & dare.

103. *Paulus* [libro primo ad Edictum.]

NEmo de domo sua extrahi debet.

104. *Ulpianus* [libro 2. ad Edictum.]

SI in duabus actionibus alibi summa maior, alibi infamia est, præponēda est causa existimationis. Vbi autem æquiparant famosa iudicia, & si summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt.

105. *Paulus* [libro 1. ad Edictum.]

VBicunque causæ cognitio est, ibi prætor desideratur.

106. *Idem* [libro secundo ad Edictum.]

LIbertas inæstimabilis res est.

107. *Gaius* [libro 1. ad Edictum Prouinciale.]

CVm seruo nulla actio est.

108. *Paulus* [libro 4. ad Edictum.]

FEre in omnibus pœnalibus iudiciis, & ætati, & imprudentiæ succurritur.

109. *Idem* [libro 5. ad Edictum.]

NVllum crimen patitur is, qui non prohibet cum prohibere [non] potest.

110. *Idem* [libro sexto ad Edictum.]

IN eo, quod plus sit, semper inest & minus.

1 ¶ Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi cum satisdatione.

2 ¶ Pupillus pati posse non intelligitur.

3 ¶ Vbi verba coniuncta non sunt: sufficit alterutrum esse factum.

4 ¶ Mulieribus tunc succurrendum est, cum defendantur, non vt facilius calumnientur.

111. *Gaius* [libro secundo ad Edictum Prouinciale.]

PVpillum qui proximus pubertati sit, capacem esse & furandi, & iniuriæ faciēdę.

1 ¶ In heredem non solent actiones trāsire, quæ pœnales sunt ex maleficio: veluti furti, damni, iniuriæ, vi bonorum raptorum, iniuriarum.

112. *Paulus* [libro 8. ad Edictum.]

NIhil interest, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

113. *Gaius* [libro tertio ad Edictum Prouinciale.]

IN toto & pars continetur.

114. *Paulus* [libro 9. ad Edictum.]

IN obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerunque fieri solet.

115. *Idem* [libro decimo ad Edictum.]

SI quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse.

1 ¶ Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoueri.

116. *Vlpianus* [libro 11. ad Edictum.]

NIhil consensui tam contrarium est, quam vis, & bonæ fidei iudicia sustinet, quam vis, atque metus: quem comprobare, contra bonos mores est.

1 ¶ Non capitur, qui ius publicũ sequitur.

2 ¶ Non videntur, qui errant consentire.

117. *Paulus* [libro vndecimo ad Edictum.]

PRætor bonorum possessorem heredis loco in omni causa habet.

118. *Vlpianus* [libro 12. ad Edictum.]

QVi in seruitute est vsucapere non potest. nam cum possideatur, possidere non videtur.

119. *Idem* [libro decimotertio ad Edictum.]

NOn alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

120. *Paulus* libro 12. ad Edictum.

NEmo plus commodi heredi suo reliquit, quam ipse habuit.

121. *Idem* [libro decimotertio ad Edictum.]

QVi non facit quod facere debet: videtur facere aduersus ea, quia non facit. Ergo qui facit, quod facere non debet: non videtur

tur facere id, quod facere iussus est.

122. *Gaius* [libro 5. ad Edictum Prouinciale.]

LIbertas omnibus rebus fauorabilior est.

123. *Vlpianus* [libro quartodecimo ad Edictum.]

NEmo alieno nomine lege agere potest.

1 ¶ Temporaria permutatio ius prouinciæ non innouat.

124. *Paulus* [libro decimo sexto ad Edictum.]

VBi non voce sed præsentia opus est: mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo. hic quidem [&] respondere potest.

1 ¶ Furiosus absentis loco est. & ita Pomponius libro primo Epistolarum scribit.

125. *Gaius* [libro quinto ad Edictum Prouinciale.]

FAuorabiliores rei potius, quam actores, habentur.

126. *Vlpianus* [libro quintodecimo ad Edictum.]

NEmo prædo est, qui pretium numerauit.

1 ¶ Locupletior non est factus, qui libertum adquisierit.

2 ¶ Cum de lucro duorum quæratur: melior est causa possidentis.

127. *Paulus* [libro vicesimo ad Edictum.]

CVm prætor in heredem dat actionem, quatenus ad eum peruenit: sufficit, si vel momento ad eum peruenit ex dolo defuncti.

128. *Idem* [libro nonodecimo ad Edictum.]

IN pari causa possessor potior haberi debet.

1 ¶ Hi qui in vniuersum ius succedunt, heredis loco habentur.

129. *Idem* [libro vicesimoprimo ad Edictum.]

NIhil dolo creditor facit, qui suũ recipit.

1 ¶ Cum principalis causa non consistit

sistitur: ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

130. *Ulpianus* [libro octauodecimo ad Edictum.]

NVmquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

131. *Paulus* [libro vicesimosecundo ad Edictum.]

QVi dolo desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est.

132. *Gaius* [libro septimo ad Edictum Prouinciale.]

IMperitia culpæ adnumeratur.

133. *Idem* [libro octauo ad Edictum Prouinciale.]

MElior conditio nostra per seruos fieri potest: deterior fieri non potest.

134. *Ulpianus* [libro vicesimoprimo ad Edictum.]

NOn fraudantur creditores, cum quid nó adquiritur à debitore: sed cum quid de bonis diminuitur.

1 ¶ Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

135. *Idem* [libro vicesimotertio ad Edictum.]

FA, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adiectis habentur.

136. *Paulus* [libro 18. ad Edictum.]

BOna fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quotiens lex impedimento non est.

137. *Ulpianus* libro 25. ad Edictum.

QVi auctore iudice comparauit, bonæ fidei possessor est.

138. *Paulus* [libro vigesimo septimo ad Edictum.]

OMnis hereditas, quamuis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.

1 ¶ Nunquam crescit ex postfacto præteriti delicti æstimatio.

139. *Gaius* [libro ad Edictum prætoris vrbani.]

OMnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ iudicio, saluæ permanent.

1 ¶ Non videtur perfecte cuiusque id esse, quod ex casu auferri potest.

140. *Vlpianus* [libro quinquagesimo sexto ad Edictum.]

ABsentia eius, qui reipublicæ causa abest, neque ei, neque alij damnosa esse debet.

141. *Paulus* [libro quinquagesimo quarto ad Edictum.]

QVod contra rationem iuris receptū est, non est producendum ad consequentia.

1 ¶ Vni duo pro solido heredes esse non possunt.

142. *Idem* [libro quinquagesimo sexto ad Edictum.]

QVi tacet, non vtique fatetur: sed tamen verum est, eum non negare.

143. *Vlpianus* [libro sexagesimo secundo ad Edictum.]

QVod ipsis, qui contraxerunt, obstat: & successoribus eorum obstabit.

144. *Paulus* [libro sexagesimo secundo ad Edictum.]

NOn omne, quod licet, honestum est.

1 ¶ In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

145. *Vlpianus* [libro sexagesimo sexto ad Edictum.]

NEmo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt.

146. *Paulus* [libro 62. ad Edictum.]

QVod quis, dum seruus est, egit: proficere libero facto non potest.

147. *Gaius* [libro vicesimo quarto ad Edictum Prouinciale.]

Semper

SEmper specialia generalibus insunt.
148. *Paulus* [libro 16. breuis edicti.]

CVius effectus omnibus prodest, eius & partes ad omnes pertinent.
149. *Vlpianus* [libro sexagesimo septimo ad Edictum.]

EX qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet.
150. *Idem* [libro sexagesimo octauo ad Edictum.]

PArem esse conditionem oportet eius, qui quid possideat, vel habeat, atque eius, cuius dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet.
151. *Paulus* [libro sexagesimo quarto ad Edictum.]

NEmo damnū facit, nisi qui id facit, quod facere ius non habet.
152. *Vlpianus* [libro sexagesimo nono ad Edictum.]

HOc iure vtimur: vt, quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicę, aut [in vis] priuatæ crimen incidat.
1 ¶ Deiicit, & qui mandat.
2 ¶ In maleficio ratihabitio mandato comparatur.
3 ¶ In contractibus, quibus doli præstatio vel bona fides inest, heres in solidū tenetur.
153. *Paulus* [libro sexagesimo quinto ad Edictum.]

FEre quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Vt igitur nulla possessio adquiri nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua vtrumque in contrarium actum sit.
154. *Vlpianus* [libro septuagesimo ad Edictum.]

CVm par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa, sicuti fit, cum de dolo excipitur

tur petitoris, neque enim datur talis replicatio petitori, *Aut si vel quoque in ea re dolo actum sit.*

1 ¶ Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

155. *Paulus* [libro sexagesimoquinto ad Edictum.]

FActum cuique suum, non aduersario nocere debet.

1 ¶ Non videtur vim facere, qui iure suo vtitur, & ordinaria actione experitur.

2 ¶ In pœnalibus causis benignius interpretandum est.

156. *Vlpianus* libro 70. ad Edictum.

INuitus nemo[rem]cogitur defendere.

1 ¶ Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit.

2 ¶ Cum quis in alij locũ succesſerit: non est æquum ei nocere hoc, quod aduersus eum nocuit, in cuius locum succesſit.

3 ¶ Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quę fuit auctoris.

4 ¶ Quod cuique[pro eo]præstatur, inuito non tribuitur.

157. *Idem* [libro septuagesimoprimo ad Edictum.]

AD ea, quæ non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur seruis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt, (veluti tutoribus, & curatoribus) obtemperauerint.

1 ¶ Semper, qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet.

2 ¶ In contractibus succesſores ex dolo eorum, [quibus] succesſerunt, non tantum in id quod peruenit, verumetiam in solidum tenentur: hoc est, vnusquisque pro ea parte, qua heres est.

158. *Gaius* libro vigesimosexto ad Edictum Prouinciale.

Creditor,

CReditor, qui permittit rem venire, pignus dimittit.

159. *Paulus* [libro 70. ad Edictum.]

NOn vt ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem possit nostrum esse.

160. *Vlpianus* [libro 76. ad Edictum.]

ALiud est vendere, aliud vendenti consentire.

1 ¶ Refertur ad vniuersos, quod publice fit per maiorem partem.

2 ¶ Absurdum est, plus iuris habere [eum,] cui legatus sit fundus, quam heredem, aut ipsum testatorem si viueret.

161. *Idem* [libro 77. ad Edictum.]

IN iure ciuili receptum est, quotiens per eum, cuius interest conditionem non impleri, fiat, quo minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset. quod ad libertatem, & legata, & ad heredum institutiones perducitur. quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret.

162. *Paulus* [libro septuagesimo ad Edictum.]

QVæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

163. *Vlpianus* [libro quinquagesimo quinto ad Edictum.]

CVius est donandi: eidem & vendendi, & concedendi ius est.

164. *Paulus* [libro quinquagesimoprimo ad Edictum.]

POenalia iudicia semel accepta, in heredes transmitti possunt.

165. *Vlpianus* [libro quinquagesimotertio ad Edictum.]

CVm quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserit, ratam eius voluntatem

Iuntatem habendam.

166. *Paulus* [libro quadragesimooctauo ad Edictum.]

QVi rem alienam defendit,nunquam locuples habetur.

167. *Idem* [libro quadragesimonono ad Edictum.]

NOn videntur data, quæ eo tempore, quo dantur,accipientis non fiunt.

1 ¶ Qui iussu iudicis aliquid facit,non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.

168. *Idem* [libro 1. ad Plautium.]

RApienda occasio est, quæ præbet benignius responsum.

1 ¶ Quod factum est,cum in obscuro sit,ex affectione cuiusque capit interpretationẽ.

169. *Idem* libro secundo ad Plautium.

IS damnum dat, qui iubet dare: eius vero nulla culpa est,cui parere necesse sit.

1 ¶ Quod pendet,non est pro eo quasi sit.

170. *Idem* libro 3. ad Plautium.

FActum à iudice, quod ad officium eius non pertinet,ratum non est.

171. *Idem* libro 4. ad Plautium.

NEmo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio,quod præstiterit.

172. *Idem* [libro 5.ad Plautium.]

IN contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem,interpretandum est.

1 ¶ Ambigua autem intentio ita accipienda est,vt res salua actori sit.

173. *Idem* libro 6. ad Plautium.

IN condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum quod habent,extorquendum est: sed & ipsarum ratio habenda est,ne egeant.

1 ¶ Cum & verbum *Restituas* lege inueniuri, etsi non specialiter de fructibus additum est,tamẽ etiam fructus sunt restituendi.

2 ¶ Vnicuique sua mora nocet, quod & in

duobus reis promittendi obseruatur.

3 ¶ Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

174. *Idem* [libro 8. ad Plautium.]

QVi potest facere, vt possit conditioni parere: iam posse videtur.

1 ¶ Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

175. *Idem* [libro 11. ad Plautium.]

IN his, quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, seruus interuenire non potest.

1 ¶ Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, à quo ius in me transit.

176. *Idem* [libro tertiodecimo ad Plautium.]

NOn est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri: ne occasio sit maioris tumultus faciendi.

1 ¶ Infinita æstimatio est libertatis, & necessitudinis.

177. *Idem* [libro quartodecimo ad Plautium.]

QVi in ius, dominium vel alterius succedit, iure eius vti debet.

1 ¶ Nemo videtur dolo exsequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

178. *Idem* [libro quintodecimo ad Plautium.]

CVm principalis causa non consistat, plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habunt.

179. *Idem* [libro 16. ad Plautium.

IN obscura voluntate manumittentis fauendum est libertati.

180. *Idem* [libro septimodecimo ad Plautium.]

QVod iussu alterius soluitur: pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

181. *Idem* [libro 1. ad Vitellium.]

SI nemo subiit hereditatem, omnis vis testamenti soluitur.

182. *Idem*

182. *Idem* [libro 3. ad Vitellium.]

QOd nullius esse potest, id vt alicuius fieret, nulla obligatio valet efficere.

183. *Marcellus* [libro 3. Digestorum.]

ET si nihil facile mutandum est ex solennibus.tamen, vbi æquitas euidens poscit, subueniendum est.

184. *Celsus* [libro septimo Digestorum.]

VAni timoris iusta excusatio non est.

185. *Idem* [libro 8.Digestorum.]

IMpossibilium nulla obligatio est.

186. *Idem* [libro 12. Digestorum.]

NIhil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolui possit. Et cum soluendi tempus obligationi additur: nisi eo præterito peti non potest.

187. *Idem* [libro sextodecimo Digestorum.]

SI quis prægnatem vxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

188. *Idem* [libro 17. Digestorum.]

VBi pugnantia inter se in testamento inberentur, neutrum ratum est.

1 ¶ Quæ rerum natura pro hibentur, nulla lege confirmata sunt.

189. *Idem* [libro 13. Dig estorum.]

PVpillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi adposita tutoris auctoritate, creditur: nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris auctoritas necessaria est.

190. *Idem* [libro vicesimoquarto Digestorum.]

QVod euincitur, in bonis non est.

191. *Idem* [libro trigesimotertio Digestorum.]

NEratius consultus, an quod beneficium dare se quasi viuenti Cæsar rescripserat, iam defuncto dedisse existimaret, respondit, nō videri sibi principem, quo de ei, quem viuere existimabat, concessisset, defuncto concessisse. quem tamen modum esse beneficij sui vellet, ipsius æstimationem esse.

192. *Marcellus* [libro vicesimonono Digestorum.]

EA, quæ in partes diuidi non possunt, solida à singulis heredibus debentur.

1 ¶ In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustius est, quam tutius.

193. *Celsus* [libro trigesimooctauo Digestorum.]

OMnia fere iura heredum perinde habentur, ac si continuo sub tempus mortis heredes exstitissent.

194. *Modestinus* [libro sexto Differentiarum.]

QVi per successionem quamuis longissimam defuncto heredes cõstiterunt, non minus heredes intelliguntur, quàm qui principaliter heredes existunt.

195. *Idem* [libro septimo Differentiarum.]

EXpressa nocent, non expressa non nocent.

196. *Idem* [libro octauo Regularum.]

PRiuilegia quædam causæ sunt, quædam personæ. & ideo quædam ad heredem transmittuntur, quæ causæ sunt. quæ personæ sunt, ad heredem non transeunt.

197. *Idem* [libro singulari de ritu nuptiarum.]

SEmper in conjunctionibus non solum quid liceat, considerandum est: sed & quid honestum sit.

198. *Iauolenus* [libro tertiodecimo ex Cassio.]

NEque in interdicto, neque in ceteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris: siue soluendo est, siue non est.

199. *Idem* libro sexto Epistolarum.

NOn potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit.

200. *Idem* libro septimo Epistolarum.

Quo

QVotiens nihil sine captione inuestigari potest: eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

201. *Idem* [libro decimo Epistolarum.]

OMnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum euentus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.

202. *Idem* [libro II. Epistolarum.]

OMnis definitio in iure ciuili periculosa est, parũ est enim, vt nõ subuerti possit.

203. *Pomponius* [libro 8. ad Quintum Mucium.]

QVod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

204. *Idem* [libro 28. ad Quintum Mucium.]

MInus est actionem habere, quam rem.

205. *Idem* [libro 39. ad Quintum Mucium.]

PLerumque fit, vt etiã ea, quæ nobis abire possint, proinde in eo statu sint, atque si non essent eius cõditionis, vt abire possent. & ideo, quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & seruitutem [in]prædio imponere possumus.

206. *Idem* [libro nono ex variis lectionibus.]

IVre naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem.

207. *Vlpianus* libro 1. ad legem Iuliam & Papiam.

REs iudicata pro veritate accipitur.

208. *Paulus* [libro 3. ad legem Iuliam & Papiam.]

NOn potest videri desisse habere, qui nunquam habuit.

209. *Vlpianus* [libro 4. ad legem Iuliam & Papiam.]

SEruitutem mortalitati fere comparamus.

210. *Licinnius Rufinus* libro secundo Regularum.

QVæ ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto conualescere non potest.

2 ff. *Paulus* libro 59. ad Edictum.

SErvus reipublicæ causa abesse non potest.

FINIS.

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0322
Mecklenburg Vorpommern

INDEX
TITVLORVM
SEV
RVBRICARVM
quatuor librorum
INSTITVTIONVM
IVSTINIANI.

In quo numerus prior librum, alter Titulum demonstrat.

A

de Acquisitione per adrogationem. 3.11
Actionibus. 4.6
Ademptione legatorum & translatione eorum. 2.21
Adoptionibus. 1.11
Adsignatione libertorum. 3.9
Atriliano tutore & eo qui ex lege Iulia & Titia dabatur. 1.20
Auctoritate tutorum & curatorum. 1.21

B

de Bonorum possessionibus. 3.10

C

de Capitis deminutione. 1.16
Codicillis. 2.25
Curatoribus. 1.23

D

de Duisione stipulationum. 3.19
Donationibus. 2.7
Duobus reis stipulandi & promittendi. 3.17

E

de Emptione & venditione. 3.24
Eo, cui libertatis causa bona addicuntur. 3.12

Exceptionibus. 4.13
Excusationibus tutorum vel curatorum. 1.25
Exheredatione liberorum. 2.13

F

de Fideicommissariis hereditatibus & ad S.C. Trebellianum. 2.23
Fideiussoribus. 3.21
Fiduciaria tutela. 1.19

G

de Gradibus cognationum. 3.6

H

de Heredibus instituendis. 2.14
Hereditatibus quæ ab intestato deferuntur. 3.1
Heredum qualitate & differentia. 2.19
His qui sui vel alieni iuris sunt. 1.8

I

de Ingenuis. 1.4
Iniuriis. 4.4
Inofficioso testamento. 2.18
Interdictis. 4.15
Inutilibus stipulationibus. 3.20
Iis per quos agere possumus. 4.10
Iure naturali, gentium & ciuili. 1.2
Iure personarum. 1.3
Iustitia & iure. 1.1

L

de Legatis. 2.20
Lege Aquilia. 4.3
Lege Falcidia. 2.22
Lege Fusia Caninia tollenda. 1.7
Legitima agnatorum successione. 3.2
Legitima agnatorum tutela. 1.15
Legitima parentum tutela. 1.18
Legitima patronorum tutela. 1.17
Libertinis. 1.5
Literarum obligationibus. 3.22
Locatione & conductione. 3.25

M

de Mandato. 3.27
Militari testamento. 2.11

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0324
Mecklenburg Vorpommern

N

de Noxalibus actionibus. 4.8
Nuptiis. 1.10

O

de Obligationibus. 3.14
Obligationibus ex consensu. 3.23
Obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur. 3.28
Obligationibus quæ ex delicto nasc. 4.1
Obligationibus quasi ex delicto. 4.5
Officio iudicis. 4.17

P

de Patria potestate. 1.9
Perpetuis & temporalibus actionibus. 4.12
Per quas personas cuique acquiritur. 2.9
Per quas personas nobis obligatio adquiritur. 3.29
Pœna temere litigantium. 4.16
Publicis iudiciis. 4.18
Pupillari substitutione. 2.16

Q

Quibus alienare licet vel non. 2.8
Quibus ex causis manumittere non licet. 1.6
Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur. 1.12
Quibus modis re contrahitur obligatio. 3.15
Quibus modis testamenta infirmentur. 2.17
Quibus modis tollitur obligatio. 3.30
Quibus modis tutela finitur. 1.22
Quibus non est permissum facere testamentum. 2.12
Qui testamẽto tutores dari possunt. 1.14
Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur. 4.7

R

de Rebus corporalibus & incorporalibus. 2.2
Replicationibus. 4.14

Rerum diuisione & adquirendo ipsarum dominio. 2.1

S

de Satisdatione tutorum vel curatorum. 1.24
Satisdationibus. 4.11
Senatusconsulto Orphitiano. 3.4
Senatusconsulto Tertylliano. 3.3
Seruili cognatione. 3.7
Seruitutibus prædiorum. 2.3
Singulis rebus per fideicommissum relictis. 2.24
Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. 4.9
Societate. 3.26
Stipulatione seruorum. 3.18
Successione Cognatorum. 3.5
Successione Libertorum. 3.8
Successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex Senatusconsulto Claudiano. 3.13
Suspectis tutoribus vel curatoribus. 1. 26

T

de Testamentis ordinandis. 2.10
Testamento militari. 2.11
Tutelis. 2.13

V

de Verborum obligationibus: 3.16
Vi bonorum raptorum. 4.2
Vsucapionibus & longi temporis præscriptionibus. 2.6
Vsu & habitatione. 2.5
Vsufructu. 2.4
Vulgari substitutione. 2.15

De verborum significatione. f.235
De regulis iuris. 284

FINIS.

VER.

VERBORVM

COLLECTIO

IVXTA ORDINEM

Alphabeti ex Tit. Dig.

De verborum significatione.

Per P. C. B.

A Besse. l. 13, §. 1. & vl l. 14. in pr. l. 173, §. 1. l. 199
Abrogare. l. 102
Absens. l. 173. § 1 199
Accidere. l. 162, § fin.
Accipere. l. 71
Axegdpux. l. 236. § fin.
Acta. l. 58
Actionis verbo. l. 8, §. 1. l. 34. 178. § 2
Actu. l. 225. in fin.
Adulter. l. 225
Adulterium. l. 101
Aduena. l. 239, §. 4
Aedes vt ioptimæ maximæ. l. 90
Aedificia vrbana, rustica. l. 211
Aedificij ap. l. 342. § 2
Aedium appellatio. l. 211 l. 242, §. fin 245
Aeris appel. l. 159
Aes alienum. l. 213, § 1
Aes suum l. 213, §. 2
Affectus animi. l. 225
Ager. l. 27. 115, §. 1. l. 218
Agere. l. 19
Agi. l. 235
Aleator. l. 115
Alienationis verbo. l. 18
Alienatum. l. 67
Aliquorum. l. 96. §. fin.
Ambigue loquens. l. 125
Amici. l. 223, §. 1
Amittere. l. 14. § fin.
Amphora. l. 106

Amplius.

Amplius. l. 22
Angiportum. l. 59. in fin.
Anniculus. l. 132. 134
Annulus signatorius. l. 74 in fin.
Annus ciuilis. l. 234. in fin.
Ante & post. l. 132
Ἀποίκος. l. 239 §. 1
Apostoli. l. 106
Ἀποτέλεσμα. l. 5 §. fin.
Apud te. l. 63
Arbitratu fieri. l. 68
Area. l. 211
Arma. l. 42
Armentorum ap. l. 89 in pr.
Artemon. l. 242
Assignare libertum. l. 107
Attestari. l. 39
Aut. l. 124

B

Βέλος. l. 233. §. fin.
Bissextilis annus. l. 98 in pr.
Bona. l. 21. 39. §. 2. l. 83. 182
Bona ciuitatis. l. 19
Bona hereditatis. l. 138
Bonis quid proprium. l. 182
Bonorum appell. l. 49 208
Bonorum possessio. l. 319. 128
Boues. l. 89

C

Capisse. l. 140
Cætera & cæterorum. l. 44. 169
Calumniari. l. 233 in pr.
Capere. l. 71. in pr.
Capitalis. l. 103
Carbonum appell. l. 167
Caullatio. l. 77. 233. in pr.
Cautum. l. 188. §. fin.
Cædere diem. l. 213. in pr.
Censere. l. 111
Censor. ibid.
Centum in funus constitutis. l. 2. 2
Ciuitates. l. 16
Cognoscere. l. 56. in pr.
Collegarum ap. l. 173. in pr.

Collegium. l. 85
Commendare. l. 186
Commodum cum erit. l. 125
Commodum cum erit. l. 239. in fin.
Commune. l. 28
Concedere bona. l. 29. l. 53
Coniuncta pro disiunctis. l. 142
Coniunctio. l. 9. §. 9
Continentes prouinciæ. l. 19. vers. 2
Contractus. l. 19. 20
Contrahere. l. 184
Contubernales. l. 209
Coram facere.
Creditor. l. 10. 11. 12. 55. conditionalis. l. 54. temporalis l. 55
Culpa l. 226. lata. l. 213. § fin magna. l. 226
Cum fari poterit. l. 227
Cum commodum erit. l. 125
Cum potuero dabo. ibid.
Custodiæ verbo. l. 224

D

Deducto ære alieno. l. 39. §. 1. l. 165
Debere. l. 178. § fin.
Debitor. l. 108
Decurio vnde. l. 239 § 5
Dedisse. l. 53. in pr. l. 76
Delata hereditas. l. 152
Derogare. l. 102
Deterius ius fundi factum non esse. l. 126
Detestari. l. 39. § 2
Detestatio. l. 40
Detestatum. l. 238. § 2
Dici pars maior. l. 2. § 2
Dimissoriæ literæ. l. 106
Disiunctum. l. 53. in pr. l. 124
Dispungere. l. 56. in pr.
Diuortium. l. 501, §. 1. l. 192
Dolia. l. 206
Dolus. l. 226. malus l. 69
Dominus vbi cuiusque. l. 203. in pr.
Donatio. l. 53. in pr. l. 67. § fin.
Donum. l. 194. 214

E

Edere rationes. l. 89. § 2
Emancipatus. l. 195
Emptor bonæ fidei. l. 109

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0329
Mecklenburg Vorpommern

Ferro. l.125
Frit. l.123
Fit. l.123
Exacta pecunia, l.87
Excisus. l.141
Exhibere l.22.146 in pr.
Ex legibus. l.6.§.fin.

F

Fabri ignarij signarij & lignarij. l.235.§ fin.
Facere. l.218
Facere oportere. l.189. ad Faces paratum. l.167
Faciendi verbo. l.175
Familiæ ap. l.4.§ fin 95.196
Familia vrbana, rustica. l.166.in pr.
Falsum. l.221
Ferri. l.235 in pr.
Filiarum appellatio. l.164.in pr.
Filius excisus. l.141
Filij appellatio. l.85.201.220.§ fin.
Filij filiusve. l.116
Filio filiisque. l.122
Filium habere, l.141
Finita. l.220.210
Fraus. l.131.in pr.
Fruges, l.77
Frumentum. ibid.
Frustrari. l.233.in pr.
Fugitivus. l.225.
Fundus. l.60.in pr.& §.fin.115.218
Fur. l.225
Furem non esse. l.74
Furto noxaque solutum. ibid.

G

Generi appel. l.136
Gerere. l.19.20
Gestum. l.19.in fin l.58 in pr.
Glandis appellatione. l.236.§ fin.
Glans caduca: l.30.§.4.

H

Habere. l.143.164.§ fin.l.188.§.1
Habere filium. l.122
Heredem esse oportet. l.227 in pr.
Heredis ap. l.65.170
Hereditatis ap. l.3.§.1.l.24.119.138.178 § 1
Hereditas legitima, testamentaria l.130 delata.

delata. l.1.§.
Hominis appellatio. l.152
Hostes. l.118.234.in pr.

I

Ille aut ille. l.124
Impensæ necessariæ, vsiles, voluptuariæ. l.79
Immissum. l.242.§.2
Immunitas l.18
Incertus possessor. l.39.§.fin.
Incola. l.239.§.2
Indicare reum. l.197
In diebus. l.217.§ fin.
Instrumentorum ap. l.99.§.fin.
Integra terra. l.30.§.2
Intestatus. l.64
Intra diem mortis. l.233
In vtero existens. l.131.252
Iter diei. l.3
Iumentorum app. l.89.in pr.

K

Kalendis bissext. l.98 in pr.
Kalendarum ante vel post diem. l.232.in pr.

L

Latrones. l.21.in fin.
Legare. l.120
Legatorum petitio generalis. l.80
Legum ap. l.6.§.2
Liberorum ap. l.56.§.1.220.in pr.
Liberos habere. l.148.149
Liberationis verbo. l.47
Liberti app l.172.295
Liberti nostri. l.58.§.fin.
Libertorum libertarum ap. l.105.l.172.l.243
Lignorum app. l.167.168
Lignum coctum. l.167
Lis. l.36
Literæ dimissoriæ. l.106
Littus publicum. l.96.112
Locuples. l.234.§.2
Locus. l.60.in pr.§.1.
Luscus. l.101.§.2

M

Magistratus. l.57.in pr.
Magistri. ibid.
Mangones. l.209
Malex

Maior pars anni. l.158
Malum. l.242.in pr.
Masculorum app. l.195.in pr.
Materfamilias. l.46.§.1
Medicamentum. l.236
Mensis intercalaris. l.98.in fin.
Meorum tuorum ap. l.91
Mercis ap. l.66.207
Meum totum. l.25.in pr.
Mille passus. l.154
Minus solutum. l.12.§.fin.l.32.82.117
Mobilium & Monentium ap. l.66.l.93
Modius iniquus. l.121
Morari. l.233
Morbus. l.101.§.2
Morbus sonticus. l.113
Mortis tempore esse. l.153
Mortui apud hostes hereditas. l.3.§.fin.
Mortuus natus. l.129
Mulcta. l.131 §.1.l.244
Mulier. l.195 § fin.
Mulieris appellatione. l.13
Municipes. l.18.in fin.l.228
Municipium. l.18
Munus. l.18.194.214
Munus publicum. l.239.§.3

N

Nascituros. l.231
Natorum appellatio. l.164.§.2
Nauis appellatio. l.242.in pr.
Negatiua duo. l.237
Negligentia magna. l.226
Nominis appellatio. l.4.l.6
Nostri liberti. l.58.§.fin.
Nostrum totum. l.25 in pr.
Notionis appellatio. l.92
Notialia terra, ager. l.30.§.2
Noxiæ appellatio. l.238
Noxiis solutum præstare. l.238
Nupta dum erit. l.89.§.1
Nurus appellatio. l.50

O

Officium. l.18
Ope, consilio. l.53.§.1
Operis appellatio. l.5.§.fin.

Oportebit. l.2
Oportere. l.7
Oppidum. l.39.§.7
Opprobrium. l.42
Optimus maximus. l.126.163.169
Orationis nec diſiunctiuæ nec coniunctiuæ interpretatio. l.28 § fin.
Ornamenti app. l.74
Ostentum. l.38

P

PAlam. l.38
Pali. l.166
Παιδίον. l.163.§.fin.
Παλλάκη. l.144
Παρεγκλε. l.239.§.2
Parentis app. l.52
Paries. l.157
Paterfamilias. l.195.§.2
Partis appellatio. l.25.§.fin.l.26
Partitionis verbo. l.164.§.1
Partus. l.26
Partus monstrosus, portentosus, debilis. l.135
Pascua silua. l.30.§.fin.
Patris app. l.202
Patroni app. l.52
Peculij proprium. l.132
Pecuniæ app. l.5.88.97.178.222
Pellex. l.144
Penes te. l.65
Peperisse. l.132.§.fin.
Perduelles. l.234
Perfecisse. l.139.§.fin.
Perisse. l.9
Περίστασις. l.45
Pernoctare. l.166.§.fin.
Persequi. l.57.§.fin.
Persecutionis verbo. l.178.§.1
Persona specios. l.100
Perticæ. l.168
Pertinere. l.90.§.fin.l.182
Peruenisse. l.264 § fin l.178
Peruenisse ad te. l.178
Petitionis verbum. l.178.§.2
Φθίτσις. l.38.in fin.

Φάρμακον. l.236
Pignus. l.238.§.2.
Plebs. l.238.in pr.
Plumbum. l.242.§.2.
Pluris aureorum xxx. l.232
Plurisve. l.232
Poena. l.131.244
Pomi app. l.205
Portari. l.113
Portus. l.50
Possessio. l.78.115
Posse, cum potuero. l.123
Posse diem decimum. l.113
Posthuma l.164
Postquam fari poterit. l.217
Potestatis verbo. l.215
Prædia aliquorum. l.96.§.fin.
Prædiorum iura. l.86
Prædium. l.115.in fin.
Prædones. l.118
Præsens. l.173.§.fin.
Præstari recte. l.71.§.fin.
Præuaricatores. l.31
Pratum. l.32
Probrum. l.42
Proiectum. l.242.§.1
Pronunciatum. l.46
Prouinciales. l.190
Proximus. l.51.155.162
Publica. l.15.16.17
Publicanus. l.16
Pueri appellatio. l.166.§.fin.l.204
Puerpera. l.16.§.fin.
Pupillus. l.161.239

Q.

QVanta pecunia. l.97
Quanti ea res erit vel esse paret. l.179.19
Qui siquis mihi heres erit. l.227
Quanto minus l.150
Quisquis mihi filius filiave heres sit. l.116

R.

RAptum. l.9
Recte. l.71.in fin.72
Reddere rationes. l.94
Rei appellatio. l.67.l.172
Reliquorum. l.95.160
Repudium.

Repudium. l.101.§.1.194
Restituere. l.22.33.35.75.240.§.1
Restitutionis verbo. l.82
Romæ appellatio. l.2.87.239.247
Ruta cæsa. l.242

S

Satisdationis appellatio. l.62
Separata. l.55
Sequester. l.110
Scriæ. l.206
Serui app. l.40.§.11.l.101.§.fin.l.239.82
Seruus verbanus. l.240
Silua cædua. l.30.in pr.pascua.l.30.§.5
Singularis app. l.158
Si quis. l.1
Socceri & socrus app. l.146
Soluta pro separatis. l.53
Seruitus. l.86
Soluendo esse. l.14
Solutionis verbum. l.176
Solutus. l.48
Soluto matrimonio. l.240
Sonticus morbus. l.11
Spadonum appellatio. l.128
Speciosa persona. l.100
Sponsio. l.7
Statutum. l.46
Stipendium. l.27.§.1
Stragula. l.45
Stratum. l.48
Stratura. l.242.§.4
Stuprum. l.10
Subdisiunctiuum. l.124
Subsignare. l.39.in pr.
Substitutio vulgaris. l.162
Sulphurata l.167
Sumptibus constitutis. l.202
Συνδίκαγος. l.19.vers.2.
Supremus. l.92.162.163
Suum. l.230.§.fin.

T

Taberna. l.183.184
Tabernacula. l.184
Taberna instructa. l.185
Τέκνα. l.104
Telum. l.233.§.2

Terra integra. l.30.§.2
Ter enixa. l.30.§.3
Terra noualis. l.239.§.8
Territorium. l.221
Testamentum falsum. l.62
Tigal appell. l.167
Titio. l.180.§. fin.
Toga. l.25.in pr.
Totum meum. l.25.in pr.
Totum nostrum. l.233.§.fin.
Τόξευμα. l.229.230
Transacta. l.27.§ fin.
Tributum. l.180.in pr.
Zugurij app. l.221
Tutor falsus.

V

Vasa vinaria. l.206
Vectigal publicum. l.17.§ fin.
Vecors. l.242.§.2
Venditum. l.67 in pr.
Venenum bonum, malum. l.236
Venire ad heredem. l.165
Venire diem. l.213.in pr.
Verba contrahentium. l.219
Vesanus. l.242.§.1
Vestis app. l.127
Via. l.157.§.1
Vicêns nomine. l.43.44.45.234.§ fin.
Vicina. l.212.§.3
Villa. l.211
Vinctus. l.216
Vinculorum app. l.216.l.224
Virilis app. l.145
Vitium. l.101.§.2
Viuere. l.234.§.2
Voluntas contrahentium. l.219
Vota. l.233.§.1
Vrbana prædia. l.198
Vrbanum mancipium. l.210
Vrbare. l.239.§.6
Vrbs. l.2.87.239.§.6 Vrbum. l.239.§.6
Vsu suo. l.203
Vsura. l.121
Χωρίτης. l.177

Fauris Iudicis in Titulum ff. De verborum significatione.

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0336
Mecklenburg Vorpommern

EPITOME
REGVLARVM IVRIS,
ex Titulo Digestorum secundum ordinem alphabeticum collecta per P. C. B.

Absentia Reipublicæ causa non nocet. l.140.
Abundantia non vitiat scripturas l. 94
Actio certa, ex quibus in vnam rem eligenda est l.43.§.1
Actio cum seruis nulla. l.167
Actio exceptione infirmata, pro nulla l.112
Actio in rem pro re est l.15
Actione concessa, & exceptio conceditur l.156.§.1.
Actionem habere minus est, quam rem l.204.
Actio tempore peritura, lite contestata perpetuatur l.139.in pr.164
Actor certus esse debet. l.42.in fin.
Actori non licet, quod reo prohibetur l.41
Aditio hereditatis ex interuallo, cum tempore mortis continuatur l.138.in pr.193
Aequitas in iure spectanda l.90
Aequitas mutat solemnia l.183
Aequitate desiderante ius mutatur l.85.§.fi.
Aequitate desiderante in causis pœnalibus succurritur l.108
Aetati in causis pœnalibus succurritur l.108
Alienare qui potest, & consentire potest l.165
Alterius nomine nemo lege agere potest l.123
Amitti proprium tantum potest l.83
Amittitur eo modo, quo acquiritur l.153
Arbiter in bonæ fidei iudicio vir bonus accipitur l.22.§.1

B

Beneficium ratione actionis competens actionem sequitur l.68.in fi.

Beneficium inuito non datur l. 69.156.§.2.
Beneficium personale cum persona perit l.68.196
Bona fides bis idem non exigit 1.57
Bona fides veritati comparatur 1.136
Bonorum possessor heredis loco est 1.117

C

Captio minima ex duabus eligenda est l.200
Casus à nullo præstatur 1.25.in fin.
Caueri alteri non potest l.73.§.fi.
Cautio realis personali potior est 1.25
Circumuentio alterius alij non parit actionem 1.49
Cognitionem quæ desiderant, libello non expediuntur l.71.10
Commoda sequuntur incommoda 1.10
Concessa contra ius, non habent consequentiam 1.14
Concubitus non facit nuptias 1.30
Condemnare potest, qui absoluere 1.7
Conditio contrahentium inspicienda 1.19
Conditio impleta, vide Implerum.
Conditio iniqua alteri non deferenda. l.74
Conditio non melior fit ex proprio delicto l.134.§.fi.
Consensus nuptias facit 1.30
Consilij mutatio non præiudicat alteri 1.75
Consilij nō fraudulenti nulla obligatio 1.47
Consulto dari, donatio est 1.53
Constituta vtiliter ex postfacto non vitiantur 1.85.§.2
Contestatione litis melioratur conditio 1.87
Contracta iure, contrario iure pereunt. l.35.100.153
Contractus legem facit 1.23.circa med.
Contrahentium conditio inspicienda. 1.19
Contrario iure pereuntia 1.35.100.153
Conuentio dat legem contractui. l. 23.circa med.
Conuentio priuata non mutat ius 1.27
Creditor rem venire permittens, pignus amittit

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0338
Mecklenburg Vorpommern

mittit 1.152
Culpa caret, qui scit, sed prohibere nequit 1.50
Culpa est immiscere se rei alienæ 1.36
Culpa sua damnum sentiens, damnum non sentit 1.203

D

Damnum dat, qui iubet dare 1.169
Damnum ex culpa sua sentiens, damnum non videtur sentire 1.203
Dati per errorem, repetitio: consulto, donatio 1.53
Defensor rei alienæ, non habetur locuples 1.166.
Definitio in iure periculosa 1.202
Delicto suo nemo fit ditior. 1.34.§.fi.
Delictum ex postfacto non æstimatur 1.138 §.final.
Denegare potest qui concedere 1.102.§.fi.
Deportationi sententia aufert ea quæ fisci sunt. 1.97
Die in contractu omisso, statim debetur. 1.14
Disiunctiuorum alterutrum factum sufficit 1.110.§.3
Diuidi quæ nequeunt, solida debentur 1.192
Doli exceptio legatario non nocet 1.19.§.fi.
Dolo caret, qui vtitur iure suo 1.55
Dolo non caruit, qui magistratui nõ paruit. 1.199
Dolo non perit, qui nesciuit cur peteret 1.177.§.final
Dolo qui desiit possidere, pro possessore est 1.130.150
Dolus pro possessione est 1.130
Dolus tutoris pupillo non nocet 1.198
Domo sua nemo extrahi debet 1.103
Donare cui licet, & vẽdere & cõcedere 1.165
Dubij tollendi causa adiectum, non mutat ius 1.82

E

Effectus cui prodest, ad eum partes eius pertinent 1.148

Emptor eiusdem iuris est cuius author l.156.§.3.
Errantes non consentiunt l.116.§. fin.
Errore dati repetitio est l.53
Error scriptoris, partibus non nocet l.92
Euincendum à nobis, in bonis non est l.190
Expressa, non tacita, nocent l.77.195
Expromissor idoneus est, qui satisdat l.100.§.1.

F

Facienda non faciens, facit aduersus officium l.121
Factum cuique suum, non aduersario nocet l.155
Factum habetur, quod per aduersarium impeditur l.39
Factum pacto non tollitur l.31
Feminæ ab officiis remotæ l.2.in pr.
Filius possidere rem peculiarem nequit l.93
Fisco obligata, nisi cum onere alienari nequeunt l.205
Fraudari scientes & consentientes nequeunt l.78
Fraudulentus reus ad interesse tenetur l.78
Fraus ciuiliter tam consilio quam euentu æstimatur l.79
Furiosi contractus nullus l.5.in fi.
Furiosus absentis loco est l.124.§.fi.

G

Generi per speciem derogatur. l.82
Gladij potestas delegari nequit l.70

H

Habere rē non vult qui eam transfert l.6
Hereditas ex interuallo adita cum morte continuatur l.138.193
Hereditas quo peruenit, eo tutela redit l.73. in princ.
Heredditas vna, duobus in solidum dari nequit l.141.§.fin.
Hereditate omissa, testamentum perit l.18
Heres de dolo suo in solidum: defuncti vero in id quod ad eum peruenit, tenetur l.440.

l.44.127.152.§.fin.l.157.§.fin.
Heres eiusdē iuris est cuius defunctus l.120
Homines omnes natura æquales l.32

I

IDem bis non exigit bona fides l.67
Idē ex pluribus causis deberi potest l.159
Ignorans debitum non est improbus l.09
Ignorantia fideiussoris iusta est l.42.vers.1
Ignorantia fideiussoris iusta est l.42.in pr.
Imperitia culpæ annumeratur l.132
Impletum habetur cum impedit is cuius interest l.161
Impossibile non cadit in pactum. l.31
Impossibilium nulla est obligatio l.185
Impossibilia natura, lege non confirmantur l.188
Impossibilia pro non adiectis habentur l.135.§.fin.
Imprudentiæ in pœnalibus succurritur l.108
Impubes ab officiis remotus. l.2.§.fin.
Incommoda sequuntur commoda l.10
Indebitum soluens non obligatur l.171
Indicata res pro veritate habetur l.207
In dubio pro libertate l.20. 179. consuetudo sequenda 34.circ. med. pro eo quod benignius est l.56.192.§. fin. pro dote l.85 in pr. pro eo quod rei aptius est l.67.pro sententia proferentis l.96.pro fama l.104. pro possessore l.154.pro emptore. l.172
Iniqua conditio alteri non inferenda l.74
Initium in stipulationibus spectatur l.19
Impari causa oneratur petitor l.154
Institutio initio inutilis, ex postfacto non conualescit l.210
Intellectu carentia pro nullis sunt l.75.§.3
Interesse facti, non iuris est l.24
Inuito beneficium non datur l.69.156
Inuito qui potest, ignorante & absente potest l.26
Inuitus defendere nemo cogitur. l.156.in pr.
Ira factum, ratum non est, nisi perseueretur l.48

Iudicis incompetentis factum pro nullo est l.370
Iudicium quæ requirunt, vera & rectæ scientia perfici debent l.76
Iura sanguinis iure ciuili non dirimûtur l.8
Ius qui sequitur non fallitur l.116.§.1
Iussu meo quod soluitur, ipse soluisse videor l.18
Iussu qui facit iudicis, dolo caret l.167.§.fi.

L

LEgatarius plus iuris non habet, quam defunctus l.160.§.fin.
Legati seruo acquisiti commodum domino prodest l.118
Legitime constituta, ex postfacto non vitiantur l.85.§.1
Leuiora delicta seruis domino obtemperantibus ignoscuntur l.157
Liberalitatis reus ad possibile tenetur l.28 & ita ne egeat l.73.in pr.
Libertas omnibus rebus fauorabilior l.122
Libertas res inæstimabilis l.176.§.fin.
Libertati in dubio fauetur l.20
Libertum qui habet, non est ditior l.126.§.1
Licita non semper honesta. l.144
Locupletari nemo cum alterius detrimento debet l.200
Lucra turpia, ab herede extorquenda l.58
Lucro in pari, possessor potior est l.98
Lucrum petentis durior est causa. l.33.41.§.1
Lucrum qui capit factû præstare debet l.149

M

MAgistratus quod facit non permittitur singulis l.176.in pr.
Maior pars quod statuit ad omnes refertur l.160.§.1
Mandat pro se, qui non prohibet l.60
Matrimonium non licitum, sed honestum esse debet. l.197
Metus consensui contrarius l.116
Meum amplius meum fieri nequit l.45
Minus ei licet, cui plus licet l.21

Mora cuique sua nocet l.173.§.2
Mutatio consilij alteri nocere nō debet l.75
Mutatio temporaria, iuris prouinciæ non innouat l.123.§.fin.
Mutus, vbi non voce sed præsentia opus est, videtur respondere l.124

N

NAtura prohibita, lege non confirmantur l88.§.fi.
Necessitate factum, non trahitur in consequentiam l.162
Neganti debitum permittitur alia defensio l.43
Nolle potest, qui velle l.3
Nostrum, amplius nostrum fieri nequit l.159
Nostrum quandoque alienari nequit l.205
Nostrū sine facto nostro non transfertur l.11
Nullius quod esse potest obligari nequit l.182

O

OBligari nequit, quod nullius esse potest l.182
Obligata fisco, non nisi cum onere transferuntur l.205
Obligatione liberatus videtur cepisse l.115. in princip.
in Obscuro verisimilius l. 114. & benignius accipiendum. l.168
Omittens possessionem, non alienat l.119

P

PActio priuata non mutat leges l.27. 45.§. final.
Parendi necessitas caret culpa l.169
Pars maior quod statuit, refertur ad omnes l.160.§.1
Pendentia non extant l.169.§.fin.
Personale beneficiū cum persona perit l. 68
Petitur inique antequam solui potest l.186
Pignori dare, fructus rei est l.72
Plus cui licet, & minus licet l.21
Plus transferre quis nequit, quam ipse habet l.54

Plus continet minus l.110
Pœnæ nomine exactum soluenti non redditur l.46
Pœnales eiusdem rei actiones alig alias perimunt l.130
Pœnali in causa benignius respondendum l.155.in fin.
Pœnalis actio non transit ad heredem l.111. §.final.
Pœnalis actio, personam non transgreditur l.58.
Pœnalis actio semel accepta, transit in heredem l.164
Pœnam recte petit, qui in ipsum non incidit l.154.§.fi.
Possessor habetur qui dolo desiit l.131.150 157.§.1.
Possessor in pari lucro, præfertur l.98.126 §.fin.l.128
Potens facere vt conditioni pareatur, posse videtur l.174
Potestas gladij delegari nequit l.6
Prædo non est, qui pretium soluit l.12
Principale cum interit, interit & accessorium l.129.§.fi.l.178
Priuata conuentio non mutat ius l.27.45. §.final.
Priuilegia personalia, cum persona: realia cum re intereunt l.196
Prouocans sine dolo moram non facit l.93
Pugnantium in testamento, neutrum ratum est l.188
Pupillus authore tutore, rite contrahit l.5. in fin.ex dolo tutoris non tenetur l.198. nec velle nec nolle potest l.189. pati non potest l.110.§.2. pubescens furti, iniuriæ capax l.111

R

RAro accidentia non constituunt ius l.64
Ratihabitio mandato comparatur l.60. in fin.
Recepta contra ius, non habent consequentiam

tiam 1.141
Regulæ vitiata, perdit officium 1.1.in fin.
Repetitio fauorabilior, quam lucrum aduentitium 1.41.§.1
Res iudicata pro veritate est 1.207
Reus fauorabilior actore 1.125
Reus fraudulentus ad interesse tenetur 1.78

S

Sanguinis iura, ciuili non dirimuntur 1.8
Scientes & consentientes fraudari nequeunt 1.145
Scripra sine sẽsu, nõ scripta habẽtur 1.73.§.3
Scriptoris error, partibus non nocet 1.92
Seruitus mortalitati comparatur 1.209
Seruo stipulante commodum domini est 1.18
Seruus ciuili iure pro nullo est l. 32. domini conditionem meliorem, deteriorem facere non potest l. 133. in causa libera interuenire nequit l.175.in pr.non obligatur l. 22. non vsucapit l.118.quæ fecit, ei libero non prosunt 1.146
Socij mei socius, socius meus non est 1.47.§.final.
Solennia nisi ex æquitate nõ mutantur 1.183
Solida debentur, quæ diuidi nequeunt 1.192
Soluendo est qui defenditur. 1.95
Soluens pretium, non est prædo 1.126
Soluitur quodque eo genere quo colligatur 1.35.100.153
Specialia insunt generalioribus 1.107
Stipulationum initiũ spectatur 1.19.144.§.6.
Stipulante seruo cõmodum domini est 1.18
Successione duplici delata, vna repudiata alia valet 1.91
Successor eiusdem iuris, cuius author fuit 1.143.175.§.fin.177
Surdus vbi non voce opus est, præsens esse potest 1.124
Suum recipiens, dolo non facit 1.129

T

Tacita non semper nocent 1.77.105
Temporaria mutatio ius prouinciæ non mu-

mutat 1.123.§.fin.
Tempus in ſtipulatione, promiſſoris cauſa adicitur l.17.186. in teſtamentis, heredis l.17.in princ.
Tempus in ſtipulatione quod ſpectetur l.19 141.§.fin.
Teſtamentaria ſucceſsio potior legitima eſt l.89
Teſtamentorum interpretatio plenior l.12
Teſtamentum perit, hereditate non adita l.181.& valet quod initio conſiſtit l.21
Teſtatus & inteſtatus paganus eſſe nequit l.7
Timor vanus non excuſat l.184
Totum continet partem l.113
Transferre quis non poteſt, plus quam habet l.54
Tutela redit eo, quo hereditas venit l.73.in princip.
Tutoris datio eſt ſuorum heredum l.73.§.1
Tutoris dolus pupillo non nocet. l.198

V

VAnus timor non excuſat l.184
Velle poteſt qui nolle l.34
Vendere & vendenti conſentire diuerſa l.160.§.1.in pr.
Vim non facit, qui vtitur iure ſuo l.155.§.1
Vis conſenſui contraria l.116
Vitioſum initio, tempore non conualeſcit l.26

FINIS.

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0346
Mecklenburg Vorpommern







Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0349
Mecklenburg Vorpommern


Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0350
Mecklenburg Vorpommern


Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0351
Mecklenburg Vorpommern


Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0352
Mecklenburg Vorpommern

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0353
Mecklenburg Vorpommern



Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0354
Mecklenburg Vorpommern

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0355
Mecklenburg Vorpommern

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0356
Mecklenburg Vorpommern

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0357
Mecklenburg Vorpommern

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0358
Mecklenburg Vorpommern



Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0359
Mecklenburg Vorpommern



Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1014794641/phys_0360
Mecklenburg Vorpommern

ex Titulorum. 4.13
tutorum vel curatorum.
iberorum. 2.13
F
iſſariis hereditatibus & ad
Pellianum. 2.23
3.21
1.19
G
ognationum. 3.6
H
inſtituendis. 2.14
ibus quæ ab inteſtato de- 3.1
te & differentia. 2.19
eni iuris ſunt. 1.8
I
1.4
4.4
iento. 2.18
4.15
tionibus. 3.20
poſſumus. 4.10
ſum & ciuili. 1.3
1.3
1.1
L
2.20
1. 4.3
2.22
a tollenda. 1.7
im ſucceſsione. 3.2
in tutela. 1.15
n tutela. 1.18
rum tutela. 1.17
1.5
onibus. 3.22
uctione. 3.25
M
3.27
iamento. 2.11

Barlachstadt Güstrow
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1014794641/phys_0361
Mecklenburg Vorpommern